



BIBLIOTHECA  
UNIV. JAGELL.  
CRACOVENSIS

Wilkomp.


38987


Mag. St. Dr.

P



38987





# HOLOCAUSTOMA MEDULLATUM

DEO in recognitionem supremi dominij  
juxta præscriptum Legis Evangelicæ

## OBLATUM.

<sup>seu</sup>

## EXHORTATIONES

### AD NOVITIOS PROFESSANDOS

Operâ, & Studiô

R.P. BONAVENTURÆ MERESS'

S. Ordinis Monachorum S. Pauli  
primi Eremitæ Monasterij Novi-  
tiatûs S. Mariæ ad Brzozoviam

Supprioris, & Magistri No-  
vitiorum

## CONCINNATÆ

Annô quo pro peccatis hominum

DEUS oblatio factus est 1773.

Typis Clari Montis Częstochoviensis 1775.

1893. I. 62

Cum votum voveris Domino  
DEO tuo , non tardabis reddere ,  
quia requiret illud Dominus DEUS  
tuus , & si moratus fueris reputabi-  
tur tibi in peccatum. *Deut. 23. cap.*  
*y. 21.*

Dic homo, quid speres, qui mun-  
do totus adhæres

Tecum nulla feres, licet omnia  
solus haberet.

POETA SACRATOR.



18987

I

# PROTESTATIO

Authoris.

Nius, Sanctæ, Romanæ, Catho-  
licæ, & Apostolicæ Ecclesiæ  
quemadmodum me filium indignum  
semper profiteor, & profiteri des-  
dero; ita hancce meam opellam e-  
jus Judicio (quod humillimè adoro)  
substerno, & quidquid illa, in ea re-  
jiciendum putaverit, etiam ego re-  
jiciendum censeo, rejectumquè volo.

Fr. Bonaventura.

FACULTAS  
REVERENDISSIMI PATRIS GENE-  
RALIS PRÆLATI INEULATI.

Holocaustum Medullatum ope-  
râ Patris Bonaventuræ Meritis  
Ordinis nostri Sacerdotis conscriptū,  
& per deputatos à Nobis Viros The-  
ologos Virtute Doctrinaquè præcla-  
ros revisum, ut omnino typis vulga-  
ri possit ( quoad in nobis est ) in  
Nomine Domini facultatem imper-  
timur. In Monasterio Clari Montis  
18. 7bris. 1774.

PAULUS Ords. Mon: S.  
PAULI primi Eremitæ  
PRIOR GENERALIS

mpm

# CENSURA THEOLOGORUM ORDINIS.

Holoauftoma Medullatū Deo inrecognitionē Supremi Dominij juxta Præscriptū Legis Evangelicæ oblatū, sive Exhortationes ad Novitios Professandos concinnatas, operā R. P. Bonaventuræ Meres S. Ords Monachorū S. Pauli primi Eremitæ Monasterij Novitiatus ad Brzozoviā, Supprioris & Magistri Novitiorū, cū nihil contrariū Fidei imò omnia consona sensui S. Ecclesiæ contineant, ad mandatū Rmi Patris Generalis Ordinis Nostri Prælati Insulati perleqtas approbo, ac prælo dignas censeo, salvo Jure eorū. Quorū de Jure &c. Datt: in Monasterio Clari Montis Częstochoviensis die 3tia Septembris Annō D. 1774.

Pr. Nepomucenus Wiktor Ejusdē Ordinis  
S. T. D. & Vicarius Provinciæ mpp.

Holoauftoma seu Exhortationes ad Professan-  
dos Oblationē Sui ipsius per Vota Supremo  
Numini fugamquè Sæcularis vitæ persuadentes,  
per R. P. Bonaventurā Meres Monasterij S.  
Mariæ ad Brzozoviam Suppriorē ac Magistrū  
Novitiorū factæ, ac per me ad mandatū Rdmi  
Patris Generalis Prælati Insulati lectæ appro-  
bantur Annō Domini 1774. die 3. 7bris.

Fr. Justus Rendak Ords Monachorū  
S. Pauli primi Eremitæ SS. Th. Dr.  
Pr. Provinciæ. mpp.

AP.

# APPROBATIO CENSORIS ORDINARIJ

Quanta animi voluptate Exhortationes  
XXXIII. pro Sacris Professionibus per  
A. R. P. Bonaventuram Merels S. Ordinis Mo-  
nachorum S. Pauli primi Eremitæ Monasterij  
Pinczoviensis Supprietem & Magistrum Novi-  
tiorum elucubratas, jamque luci publicæ dona-  
tas nuper evolveram, non minori spiritus ju-  
cunditate, alias XXI. Exhortationes, tum Ser-  
mones pro singulis Anni Feriis, sextis. Thematæ  
Dominicæ subsequentis accommodatos, & in gra-  
tiam eorundem Sacrae Religionis. Candidatorum  
conscriptos rursus perlegi, nihilquæ in eis quod  
aut Sacrosanctæ Fidei Catholicæ Romanæ do-  
gmatibus, aut bonis moribus, aduersetur reperi.  
Omnia antiquum Monasticum spiritum, & exa-  
ctiorem Regularis disciplinæ observantiam insi-  
nuant, & ad perfectiorem vitæ statum svaviter  
impellunt. Opus, & Authore suo, & luce publica  
dignum censeo. Dabam in Collegio Majori U-  
niversitatis Cracoviensis, Kalendis Februarii.  
Annô Dñi. 1775.

M. JOSEPHUS PUTANOWICZ Sz.  
Th. Dr. & Pfr. Eccl. Cath. Plocen.  
Can. Coll. SS.OO. Prepositus Paroch.  
Opatovecen. Curatus Librorum per  
Diæcesim Cracovien. Censor *mpp.*  
*Ad*

# Ad Candidum Lectorem.

**N**Orim perbelle Candide Lector! Te  
haud latere, otium, pulvinar fore  
principis tenebrarum laci inferioris,  
tempestatemque, iuxta S. Cyrill. Apo-  
log. mor. apud Corderium ex anti-  
quo M. S. Codice, cordis. Quod  
ipsum non modò animum titillavit, sed  
calamum excitavit, ut præsentis  
Opellæ pagellas exararem, tueque  
commoditati studens, aprico consigna-  
rem paulò breviores nupernis.

Vellem ego, ut quantumvis labor  
hic non nihil macilentus sit, in quovis  
tamen pinguesceret: illud in sanguinis  
adimplere delicium habens, quod suis  
Incarnata illa Sapientia identidem re-  
commendavit, dicens: Estote & vos  
perfecti, sicut & Pater vester Cæle-  
stis perfectus est. Matth. c. 5. v. 48.

Nego-

Negotium dictum ita mentem, & pennam possedit; equidem omni nisu in id unum feror, ut semita illa, quæ ad perfectionem ducit, toti palam fiat mundo, atquè mundus universus, Religiones singulæ per suos Alumnos cæsum fiant, ut gradiantur inoffenso, quo cunctos properare iri necessum, pede.

Volve igitur, & revolve has pro sacris Professionibus Exhortatiunculas, & ut Te ad vitæ æternæ viam dirigant, candido pectore exoptat, qui scribit.

Fr. Bonaventura.

EXHOR-



## EXHORTATIO I. ad unum.

*Vanitas vanitatum omnia. Eccles.*

cap. I. §. 2.



1. Spectamus mortales o-  
mnia, quæcunque no-  
bis sol iste utpote lu-  
cidissimus planetarū  
ceps monstrat, quæcunque ocu-  
s noster propriâ cernit, vel cerne-  
re potest pupillâ, quæcunque audit,  
vel audire potest auris nostra, en ha-  
bemus omnium horum taxam nobis

A per

per os Sapientis promulgatam: *Vanity vanitatum omnia.* Et rectè:

2. Verè enim verò vanity quidquid in hoc sæculo humana mortalitas appetere potest. Nonnè ipse mundus præfert speciem vanity in quo tametsi mundo, non attamen mundo, omnia immundo Quid namq; ille est, nisi fons mali, omni scelere secundus, in quo nîl sanæ remonstratur mentis fraudibus pleno, pleno detrimentis!

3. Dan. cap. 2. v. 31 & sequ. Grandis quondam Regi Babylonie ostensa fuit statua, sublimis in altum, caput ejus purum, & generosum aurum, pectus, & brachia de argento, venter, & semora ex ære, tibiæ ferreæ, pedes partim ferrei, partim fistiles. Hanc statuam excelsam, dum modicissimus de monte abscissus per-

cus.

3

cussit lapillus, totam in cineres redegit. Hinc videamus quām parvo ictū corruit hæc grandis statua, & quemadmodum hoc in ictū oculi factum fuit: sic momentō omnes in mundo evanescunt voluptates, corruunt honorum dignitates. Ut aquæ bullæ facile per levem dissipatur ventum, ut fulguris coruscantis brevi lux extinguitur; ita in hoc mundo omnia delectabilia non diu durare iri necessum.

4. Referunt Authores, quod terra illa, in qua DĒUS Sodomam, Gomorham, & alias civitates sulfurico igne combussit, soleat proferre arbores, quæ generant fructus externa specie s̄vaves, visu pulcherrimos, sed si manu tangantur, tetro odore adstantium insciunt nāres, & in favillam, ac cineres rediguntur. Ecce vera imago mundanæ vanitatis, di-

A 2 gni-

gnitatis, honorum, opum temporali-  
um, quæ exterius visa nescio quid  
habeant fictæ gloriæ, & fallacis splen-  
doris, qui oculos mortalium capit,  
& introrsus inspecta, gravissimum  
multorum peccatorum exhalant fæ-  
torem, in quem miseri horum ama-  
tores impingunt, & dum brevi de-  
cursu temporis finiuntur, in favillam,  
& cineres convertuntur. Et, ut pau-  
cis complectamur totum, omnia ista  
visibilia mundi bona habent se ad in-  
star ciborum exquisitissimorum in ta-  
bula depictorum, qui & si oculos in-  
tuentium summè delectent, minimè  
ramen satiant ventrem esurientem.  
Meritò ergo omnia hæc temporalia  
bona, omnis hæc mundana prosperi-  
tas tamquam vera, & ipsissima vani-  
tas postponenda est, & contemnenda.  
Quod ipsum est, quod intimè svadet

S. Cy-

5

S. Cyrillus Jerosolymitanus dum ita  
Catech i. fatur: *Mundana hæc omnia  
postpone: parva enim sunt, quæ relin-  
quis: maxima verò, quæ dantur à Do-  
mino.*

5. Quò circa restat Dilectissime  
in Christo Frater Professande, ut  
contempta sæculi vanitate aliò velis,  
remisque, ut ajunt, contendas, ubi  
duntaxat vera bona invenias, illaque  
nuspian peritura; & hæc sunt illa,  
quæ spiritualia nuncupantur. Velit  
te absorbere mundus; tu absorbe illū  
cum omnibus pompis ejus, & trajice  
in corpus tuum per sacram Professio-  
nem; macta, & manduca, quò pa-  
bulō vitâ tuâ nutritus haud esuries  
in perpetuas æternitates. Quod, ut  
eveniat, cordicitùs exopto.

Modò autem quæro ex te semel,  
bis, ter canocicè utrum ex animo de-

voto

voto, & spe perseverantiæ, optatæ  
quæ salutis affectu, petas ipsam Pro-  
fessionem! Const. p. i. c. 8. n. 1.

## EXHORTATIO II. ad unum.

*Si vis perfectus esse -- sequere me.*  
Matth. 19. 21.

**Q**uia sacrum habitū suscepimus;  
quia mores sœculares exui-  
mus, quia mundani fermè esse desy-  
mus, non videtur necessaria illa dili-  
gentia, ut ad vitam spiritualem mo-  
nitionibus quibusdam provocemur,  
animemur, stimulemur; nihilominus  
Saluator Christus continuo inquit:  
*Si vis perfectus esse, sequere me.* Pro-  
fectò multa adhuc egemus persuaſi-  
one ad arctam viam salutis ample-  
ctendam, ad debitam perveniendi  
perfectionem, quæ nos hortetur de-  
ſides

7

sides, impellat ignavos, excitet dormientes, & ad veram vitæ religiosæ alliciat perfectionem.

2. 4 Reg 25. Rex Joachin ductus in servitutem babyloniam diu in ea magnis opprimebatur angustijs, postquam vero beneficium Regis Babyloniam eductus esset de carcere, in quo diu jacuerat vincitus, statim sedet in throno Satraparum Babyloniam; vestem folidam commutavit pro regio, ac splendido ornatu, opiparis quæ cibis quotidie vescebatur. Unde haec tanta commutatio post tam miseram vitam; post squalidos carceres; post mortales anxietates! Respondet D. Greg. dicens: *Æquum erat, ut qui statum captivi deseruit, & amplitudinem amicitiae tanti Regis obtinuit, iam nesciret angustias carceris sed amabilis libertatis letitiæ, & magna-*  
*rum*

*rum opum possessione gauderet.*

3 Hæc eadem nos ad perfecti-  
onis amorem, & sequelam promove-  
re debent. Nequè enim minora sunt,  
sed longè majora, quæ à DEO ac-  
cepimus, quæm quæ Rex Joachin à  
Rege Babyloniarum Joachin enim in  
barbari Regis amicitiam est admis-  
sus; Religiosus verò in veri Regis  
regum Dæi familiaritatem est eve-  
ctus. Ille liberatus è carcere tene-  
broso, Religiosus ereptus è sæculo  
procelloso. *Hoc sæculum,* inquit S.  
August. in Psal 39. *mare est: habet*  
*amaritudinem noxiam, habet fluctus*  
*tribulationum, tempestates tentatio-*  
*num. Habet homines velut pisces de*  
*suo malo gaudentes, & tamquam se in-*  
*wicem devorantes.* S. verò Ambro-  
sius in Psal 118 Octon. 3 *Concupivit*  
*anima mea. ita fatur: Vincula com-*  
*plu-*

9.

plura sunt in hoc seculo. Vincula sunt  
desideria vivendi, vincula sunt oble-  
etamenta voluptatum, vincula sunt  
honorum, vincula coniugij.

4. Elevatus est, inquam, Joa-  
chin super Principes Babylonis; Re-  
ligiosus vero associatus est Angelicis  
choris. Ille honore affectus est Prin-  
cipe secum benignè loquente; Re-  
ligiosus summam gloriam adeptus est  
Christo secum quotidie verba mi-  
scente. Joachin abjecit vestimenta  
captivi, & indutus est veste regali;  
Religiosus deposuit veterem vitam,  
& vitæ Christi simillimam assumpsit.

5. Quòd si Joachin illa umbra-  
tica prosperitate delectatus amplius  
angustiarum carceris, & ærumnarum  
haud reminiscatur, quid, quæso, fa-  
cere debet Religiosus? an cùpiet ite-  
rum fædas sæculi voluptates? an va-  
nas,

nas, & incertas mundi desiderabit delicias! an abrumpere conabitur libertatem obedientis animi! an expetet studium orationis, s<sup>v</sup>aves gemitus, dulcia suspiria, & omnium religiosarum virtutum cumulum cum s<sup>a</sup>cularibus curis commutare! Haud quaquam. Imò tantam sui status dignitatem mente, & corde revolvens, ut eò securius vocantem sequatur Christum, vitam spiritualem, vitam vitae simillimam Angelicæ aucupabitur, & totis viribus conabitur perfectionis conscendere gradus.

6. Ad quem finem cum Religiosa Professio prodromum agat, ito jam Dilectissime in Christo Frater Professande felici, quô c<sup>a</sup>pisti passu, & felix jam extitisti æternūm.

Modò autem quæro ex te &c.  
vid. fol. 5.

EX-

# EXHORTATIO III. ad plures.

*Appropinquat redemptio vestra.*

Luc. 21. 28.

I. **N**unc apparet Dilectissimi in Christo Fratres Professandi quid intentatis; quid voluistis; quo tendere præmeditati fuistis, dum sacra Ordinis Eremitici Divinissimi Pauli primi Eremitæ Claustrorum limina ingressi fuistis. Quæsivisti video sub victrici semper paulino palmeto; sub tam tutissimo ab omni incursu mundanarum navigationum assyllo vestræ salutis securitatem; vestræ vocationis felicem terminum. Deditis ad id manus vestras militiæ sacræ sub vexillo palmario D. Pauli Patris nostri; portastis pondus diei, & æstus; sustinuistis quæque vobis adversa: nunc felici temporum cur-  
su

su venit vestræ militiæ , vestrorum laborum, vestræ patientiæ terminus; venit optata emittendæ Professionis sacræ dies, venit initia salutis æternæ hora: Ecce *appropinquat redemptio vestra.*

Sed nolite triumphare. Attendite quid dicit Scriptura. Non dicit: *appropinquavit*, sed *appropinquat redemptio vestra.* Nunc vobis major aperitur campus, nunc ad majora vos debetis resolvere certamina; nunc primum certandum vobis erit in campo Religiosæ perfectionis, in quo post emissam Professionem, stantes videbitis contra vos hostes strenuè à vobis debelandos , si ad veram vultis pervenire victoriam; si serio vestrā velitis curare salutem. Evidem In via vitæ non progredi, regre-

*regredi est teste Bernardo serm. 2. in Purif. B. V.*

3. Pugnandum, iuquam, vobis erit cum Stygio hoste, & in bono magis, magisque progrediondum. Pugnandum vobis erit contra principem nequitiarum superbiam, quæ licet de sublimi loco orta sit, quia tamen à patre tenebrarum nata, semper super astra solium exaltare contendit. Pugnandum vobis erit contra omnem ambitionis fastum; certandum contra acediam, nè hos fructus pietatis, devotionis, orationis, quos per annum vestræ collegistis probationis, stertendo, jacendo, per angulos discurrendo amittatis. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit, usque in perfectam diem.* Prov. 4. 18.

4. Curandum vobis erit, ut super.

superbiām vincatis humilitate; ambitionem, vanæ gloriæ contemptu; flore castitatis, luxuriæ fordes meminicitis e verrere; iræ ignem, iracundiæquè incendium, mansuetudine extinguere; gulam, abstinentiam domare; invidiam, charitate proscribere; acediam fervore devotionis eliminare.

5. Ad tale ergo certamen parati esse debetis, si vultis, ut appropinguans vobis regnum DEI, pro corona laborum vestrorum olim recipiatis.

Modò autem quæro ex vobis &c. vid. fol. 5.

#### FXHORTATIO IV. ad plures.

*Ecce nos reliqimus omnia.* Matth.

19. 27.

1. **J**Sta est gloriofa, sancta, ac beata

ta

ta vita, contemptus mundi, vanitatemque ejus, & sequela Christi. *Et secuti sumus te.* In derelictione omnium, & sequela Christi, omnium si populorum, à potiori, ac fortiori Religiosorum omnis perfectio, & salus æterna est firmata.

2. Ast quis ille est; quis eò pervenit, ut plenè omnia derelinquit, & ferventi spiritu, sincero affectu, zelo inextinguibili, generosò, voluntate perfecta Christum sequatur? Si quispiam talis invenitur, vos ego Diléctissimi in Christo Fratres Professandi agnosco.

3. Vos etenim amore Christi culmen hoc perfectionis Evangelicæ, consequenter Religiosæ esse qui intenditis, qui ita cuncta, quæ vobis DEUS, fortuna, domus, & industria

stria concessit, deseritis, ut nihil vobis relinquatis.

4. Parum est hoc, sed etiam, ut Christum sequamini, ut ipsum in vita, & moribus vestris repræsentare possitis, adeò vos ab omnibus astraxistis, quod, quæ terræ sunt, abnegetis, quæ mundi sunt, haud appetatis; quæ vestri-ipsorum, reiciatis, ut in terra, extra terram; in mundo, extra mundum; in vobisipso, extra vosipso vivatis.

5. Terræ contemptores generosi mundi conculcatores magnifici, vestriipsorum victores glorioſi! nunc verè dicere potestis D E O cum Regio Prophetæ: *Quid à te volui super terram*, Psal. 72. 25. qui vestram conversationem non amplius cum hominibus, sed cum Angelis; non cum terrestribus, sed cum cælestibus quæritis.

6. Ab

6. Ab hinc mundo vultis esse  
 mortui pompas ejus, & dignitates  
 aspernando per religiosam humilita-  
 tem; persecutiones ejus superando  
 per patientiam; opes, & divitias re-  
 jiciendo per amplexum Evangelicæ  
 paupertatis; propriam voluntatem  
 abnegando per obedientiam; delicias  
 proscribendo per mortificationem;  
 carnem mortificando per jejunia, &  
 vigilias; delicias, inquam, proscri-  
 bendo per subtractionem carni, quæ  
 carnis sunt; voluptates proterendo  
 per castitatem,

7. Fugitis, video, hinc; ubi ni-  
 hil est, ubi inane est omne, quod  
 magnificum esse putatur; ubi & qui  
 se putat quid esse, nihil est; & omni-  
 no non est Ambrosio l. de fuga sæ-  
 culi c. 5. teste.

8. Relinquitis umbram, & quæ-  
 ritis

B

titis solem, deseritis fumum, & sequimini lumen: fumus iniquitas est; quia sicut fumus oculis, sic iniquitas, utentibus eâ eodem ibidem affirmante. Umbra est vita præsens, quam assertis illi, qui illuminat omnem hominem ad se venientem. Et hinc rectè de vobis dicere possum: *Relinquitis omnia*

9. Ut ergo vos S. Patriarcha noster D. Paulus primus Eremita non degeneres experiatur filios; ut vos sacra Mater Religio fædifragos non videat; ut quod votis promittiatis re, & exemplo proferatis, huic vos studere oportebit profectui, ut post derelictionem mundi, post abnegationem vestri ipsorum, per præsentem sacram Professionem, ad illum valeatis pertingere terminum, ad quem vos divina Sancti Spiritus inspi-

inspiratio vocavit. Quod, ut eveni-  
at, animitus opto.

Modò autem quæro ex vobis  
vid. fol. 5.

## EXHORTATIO V. ad plures.

*Assumam vos mihi in populum, &  
ero vester DEUS. Exod. 6. 7.*

1. **Q**uantis malorum cumulis, qui-  
bus calamitatibus, & ærum-  
nis, qualibus procellis, & periculis  
mundus iste refertus existat, nemo  
est, qui non videat, si tantum paulò  
diligentius considerare velit.

2. Verè enimverò mundus hic  
non est aliud, nisi urbs iniquitatis,  
in qua regnat invidia, sævit crude-  
litas, dominatur ambitio, imperat li-  
bido, & vitia universa inveniunt re-  
quiem.

3. Mundus hic in maligno positus est, plenus laqueis; plenus scandalis, & peccatis; circumseptus periculis, pravis colloqujs, iniquis consilijs, exemplis pessimis, & mortibus animæ infinitis Petro Blesensi ep. 142 teste.

4. Quarè salutariter Hironimus ep. 1. ad Heliodorum: Nolite, irquit, credere, nolite esse securi: licet in modum stagni fusum & quor arrideat; licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur: magnos hic campus montes habet; intus inclusum est periculum, intus est hostis. Expedite rudentes, vela suspendite. Crux antennæ figatur in frontibus: tranquillitas ista tempestas est.

5. Res ipsæ singulis diebus, tubâ quâvis clarius declamant; quâm sint omnia hujus mudi vilia, quâm ridi-

ridicula, quām turpia, quām periculosa, quām profundi barathri, si Chrysostomo serm. 14. in c. 8. ad Romanos fidem damus.

6. Nunc ergo quæramus, & interrogemus nosmetipsos, quæ illa fuit causa, ob quam nos misericordissimus DEUS è tantis calamitatibus, è tantis malis eduxit mundi, & exemit, dum inquit: *Assumam vos, & ero vester.* Quare nos in domum suam, in amænissimum paradisum, in locum quietis, & pacis scilicet in Statum Religiosum vocavit! Quare in tam amplissimam dignitatem evexit; nam servire DEO, regnare est juxta Bernardi effatum! Quare tantis cumulavit beneficiis, & à fluctibus saevi maris eductos in portu tanta tranquillitatis locavit!

7. Certè non ideo, ut otio, & socordiâ torpeamus; ut in vanis occupationibus tempus insumamus; ut vitam commodîs plenam, & rebûs ad usum necessarijs abundè refertam habeamus; ast hæc unica causa, ut tantîs impensis spiritualibûs nobis exhibitis, non temporalem, sed æternam nostram procuraret salutem.

8. Hic finis est beneficiorum ejus, ut à sæculi vanitate eruti, certocertiūs æternam salutem conseguamur ad Religionem vocati, in qua ei soli famulantes ipsum recognoscamus D'EUM nostrum: *Affumam vos mihi in populum, & ero vester DEUS.* Ut illum semper cogitemus; ejus confortia nobis dulcia, nobis svavia cupiamus, & in cunctis nostris actibus in cunctis operibus, solis divinis inhærentes, ipsius ho-

no-

norem, ipsius gloriam affectemus.

9. Omnipotenti hi tantum Religiosi habent DEUM pro DEO, qui divitias flocci pendunt, voluptates abhorrent, honores, & mundanas dignitates non curant; sed DEUM solum, qui eos de saculo nequam tamquam de servitute babylonica eripuit, toto, & sincero corde querunt; virtutes sectantur, Religiosamque totis viribus desiderant perfectionem.

10. Illos vere sibi assumit DEUS: *Affidam vos mihi*, qui mentis, & cordis puritatem sectantur; qui ita in divinum obsequium fervore, & animi contentione currunt, quemadmodum ipse DEUS in ipsorum praesidium, juvamenque festinat; qui ita illum fidelitate, & mandatorum observantiâ complectuntur,

tur, sicut sentiunt se ab ipsius maiestate, & potentia contineri; qui divinis inspirationibus, & sanctis desiderijs se repleri sinunt.

ii. Illi verè habent D E U M pro D E O , qui suam abnegant voluntatem; qui nihil præter illum cupientes, & nullam rem creatam amantes, in ipso solo omnes affectus, & omnia sua desideria locant; qui sancti esse conantur, sicut & ipse sanctus est; qui in mentibus proprijs similitudinem exprimunt divinam.

12. Hæc ergo est idea illorum vitæ, quos D E U S sibi assumpsit, quam si tenueritis Dilectissimi in Christo Professandi, illò pertingentis indubie, ubi de vestra sancta vocatione exultabitis cum populo DEI æviternè.

Modò autem quæro ex vobis  
&c. vid. fol. 5.

EX.

## EXHORTATIO VI. ad unum.

*Vocem meam audi. Psal. 118. 149.*

1. **C**erta spes æternæ salutis consequendæ, si quis Statum Religiosum amplexus fuerit, & in eo vixerit juxta Regulas usquè ad mortem. Hoc enim promisit infallibilis veritas ipse DEUS suis Apostolis, qui verè erant Religiosi, ac omnibus alijs id vitæ genus profitentibus Matth. 19. 29. dicens: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

2. Supra quæ verba scribens Chrysostomus ait: *Impossibile est mentiri DEUM. Promisit ille vitam æternam relinquentibus omnia, ergo, & tu*

¶ tu Religiose, qui hæc abieciisti,  
quid prohibet te, de huiusmodi confi-  
dere promissione, ¶ esse securum.

3. Felix proin paupertas, inquit  
Bernardus, voluntaria omnia relin-  
quentium, ¶ sequentium DEUM.  
Felix planè, quæ tam securos, ¶ tam  
gloriosos facit in illo singulari fragore  
elementorum, scilicet die iudicij, in  
illo examine meritorum, in illo tanto  
discrimine iudiciorum.

4. Quocirca benè scripsit pri-  
mus Patriarcha Venetarum S. Laur.  
Iust. differens de disciplina, & per-  
fectione monasticæ conversationis:  
*Illiū cœlestis Civitatis iste est intro-  
itus: Status scilicet Religiosus. Re-  
ligio etenim talis locus est, de quo ait  
S. Jacobus Gen. 28. 17. Vere non  
est hic aliud nisi domus DEI, &  
porta cœli. Qui bic viriliter certa-  
verit,*

verit, & perseveranter, coronabitur  
gloriosè illic. Duo sunt castra DEI:  
cælum, & Religio. Ambo sedes sa-  
pientiæ, ambo ianctorum civitates.  
Qui in hac laudabiliter conversatus  
fuerit, ab illa excludi non poterit.  
Securè speret post hanc peregrina-  
tionem, ad illam supernam intrare  
Hierusalem, quicunque in justorum,  
hoc est Religiosorum vocatus fue-  
rit congregationem. Magnum quip-  
pe electionis, hoc est prædestinati-  
onis ad gloriam, indicium est, Re-  
ligiosæ fraternitatis habere confor-  
tium.

5. Inspiratio, quâ quis interius  
sentit se ad Statum Religiosum am-  
pleteendum vocari, nullô modô po-  
test esse ab alio, quam à D E O.  
Nam omnium cogitationum nostra-  
rum tria sunt principia, scu origines:

D E.

DEUS videlicet, diabolus, & natura Desiderium autem intrandi Religionem non potest inniti à natura; quia hæc abhorret ab illis rebus, quæ necessariò sunt tolerandæ, & faciendæ in Statu Religioso, uti sunt mortificationes carnis, fuga peccatorum, abnegatio propriæ voluntatis, subjectio perpetua sub obedientiæ clausura, libertatis abdicatione, victus austerior, castitas perpetua, paupertas ardua.

6. Non potest quoquè inniti à dæmone; tum quia ille his omnibus contrariatur, tum quia ille non impellit ad statum virtutum, quod ei displicet, imò retrahit; tum quia videt animas sibi eripi per Statum Religiosum, quas in sæculo citius catenis peccatorum possideret.

7. Er-

7. Ergo necessario tale desiderium, intrandi Religionem, procedit à DEO, ut solus dicit: *Vocem meam audi.* Quis etenim magis desiderat salutem animarum nostrarum, quam ipse DEUS, ut bene ait S. Bernardus serm. de S. Spiritu? Quoties super castigando corpore humiliando corda servanda unitate, charitate proximis exhibenda, virtutibus aquirendis, innocentia conservanda, pietate, devotione, & alijs sanctis operibus amplificandis, salubris cogitatio in mente versatur, divinus sine dubio spiritus est, qui loquitur.

8. Quod ipsum confirmat D. Greg. libr. Dial. cap 158 dum inquit: Per iugum divinæ obedientiæ reperit anima fidelis cum lumine fidei locum sanctæ Religionis, quæ procul dubio fundata est à Spiritu Sancto,  
posi-

posita veluti secura navicula pro recipiendis animabus, ut eas securè perducat ad portum æternæ salutis.

9. Traxit te Dilectissime in Christo Frater Professande DEUS ad hanc sacram Religionem, & defactò trahit per emittendam Professionem, ut illi soli famuleris, fugias peccata, evadas pericula salutis, & ut majorem tibi in cælo præpares coronam post tuum laborem, post tuas orationes, post tuum cum carne, mundo, & diabolo certamen. Audi benignè, & leviter vocantem, & pervenies, ubi sine fine gaudebis.

Modò autem quæro ex te &c.  
vid. fol. 5.



EX-

## EXHORTATIO VII. ad plures. <sup>31</sup>

*Fratres perfecti estote. 2. Cor. 13. 11.*

1. **A** Quo tempore Fratres in Christo Dilectissimi nomen sacræ dedistis Religioni, ex quo spiritualem amplexi estis statum, semper vos perfectos esse debere necesse est. Sed bene scitote, hanc vitæ spiritualis perfectionem simplicem non esse.

2. Una enimvero perfectio est ustorum cum DEO jam regnanti-  
im in cælis, quâ fruuntur DEUM  
facie, ad faciem videntes, absquè  
ullo timore amissionis, altera est in  
hac vita mortali, in qua contem-  
plamur per speculum, & in ænigma-  
e 1. Cor 13. 12.

3. Illi absquè ullo gemitu gau-  
dent

dent de sua perfectione; nos in hoc statu licet primitias spiritus habeamus, tamen intra nosmetipos geminus adoptionem filiorum DEI expectantes.

4 Illi licet omnium minimi sint juxta statum meritorum suorum, nulla tamen aut peccati, aut defectus alicujus levissimi forde fædati juxta illud Scripturæ Apocal. 21. 27. Non intrabit in illam Civitatem aliquod coquinatum, aut abominationem faciens; nos vero licet purissimi nobis videamur, aliquâ tamen leviorum peccatorum maculâ inficimur juxta illud Prov 30. 12. Generatio, quæ sibi munda videtur, non est tamen lata à fôrdibus.

5 Illi tamquam victores coronis redimiti, timorem, ac metum procul abjiciunt, laborem amovent,  
et ope-

& operum suorum fructibus gaudent;  
nos tamquam in conflictu belli po-  
siti semper habemus, quod timea-  
mus, quod fugiamus, quod prælian-  
do, & laborando prosternamus.

6. Si ergo Dilectissimi in Chri-  
sto Fratres Professandi ad illam cæ-  
lestem perfectionem serio aspiratis,  
etiam hanc in vestra mortali vita,  
in hoc mundanarum impietatum con-  
flictu, minimè negligere debetis.

7. Audite, obsecro, DEUM,  
quomodo omnes homines per Mi-  
nistrum suum D. Paulum Aposto-  
lum ad hanc invitat perfectionem  
i. Cor. i. 10. dicens: *Obsecro vos o-  
mnes, ut sitis perfecti.*

8. Si eadem perfectio (sensus  
est D. Chrysostomi supra hæc ver-  
ba scribentis) omnibus hominibus  
proposita est, omnibus imperata, li-

C

qui-

quidò constat, omnibus eam possi-  
bilem fore.

9. Si autem omnibus fidelibus  
perfectio vitæ Christianæ possibilis  
est, quanto magis Religiosis pervia  
erit, & facilis, qui mundum peccan-  
di materiam abundè subministran-  
tem effugerunt, parentes, charos,  
fratres, sorores, consanguineos, no-  
tos, amicos dereliquerunt; hostes  
domesticos evaserunt; opes, deli-  
cias, & proprias voluntates abje-  
runt;

10. Si sacerdotes mille obstacu-  
lis impediti currere ad hunc supernæ  
vocationis terminum facile possunt,  
quanam ratione Religiosi liberi, &  
expediti ab omnibus, non valeant  
si struthiones in cælum volare vale-  
ant, quidni ipsæ aquilæ possint?

11. Si hæc via tam recta est, ut  
stul-

stulti, modò velint, non errent per  
cam, quomodò Religiosi prudentio-  
ris ingenij existentes, finem vitæ be-  
atæ seriò cupientes, errabunt!

12. Evidem si tanta est perse-  
ctionis lux, ut cæci eam videant; ut  
claudi eam teneant: si tanta suavitas,  
ut ægroti eam libenter gustent, & e-  
jus dulcedine capiantur, non puto,  
quin Religiosi impediri possint, ut  
hanc stellam splendidissimam non  
videant, gemmam pretiosissimam  
non possideant! Status enim Religi-  
osus secundùm effatum D. Thomæ  
Aquinatis, status perfectionis est, &  
hominum ad perfectionem tenden-  
tium.

13. Quare quemadmodum Do-  
minus Isrælitis de Ægypto in terram  
promissionis pergentibus omnia ad  
iter necessaria, cibos de cælo dela-

C 2 psos,

psos, vestes, vires ad ambulandum,  
 Duces qui ducerent, Imperatorem,  
 qui numerosissimum populum guber-  
 naret, & alia, quæ desiderare pos-  
 sent, abundè suppeditavit; ita Reli-  
 giosis omnia affatim præbet tempo-  
 ralia, & spiritualia adjumenta, ut eo-  
 rum præsidio, & vitæ sacerularis abje-  
 ctione, ad terram excelsam lacte, &  
 melle fluentem, hoc est, ad perfecti-  
 onem Religiosam perveniant.

14. Apprehendite ergo Dilectissimi  
 in Christo Fratres disciplinam  
 hanc tam salutarem, nè quando ira-  
 scatur Dominus, & pereatis de via iu-  
 sta; Psal. 2. 12. sed potius hac viâ  
 gradientes ad cælestem Ierusalem  
 pertingatis, & unusquisquæ vestrum  
 latus excipiat, quod Dominus dicit  
 Matth. 25. 21. Euge serve bone, &  
 fidelis, quia super pauca fuisti fidelis,  
 super

super multa te constituam intra in  
gaudium Domini tui Quod, ut e-  
veniat, corde exopto.

Modò autem quæro ex vobis  
vid. fol. 5.

## EXHORTATIO VIII. ad unum.

*Si quis vult post me venire, abne-  
get semetipsum, & tollat crucem  
suam quotidie, & sequatur me.*

Luc. 9. 23.

Cum Status Religiosus sit talis,  
in quo Christo invitante, eum  
sequuntur illi, qui mundum relin-  
quunt, & sequi debent, quemadmo-  
dum cuilibet D. Ambrosius Religi-  
oso instillat, dum ait: *Christus est  
fīnis omnium, quæ pia mente poscimus,  
in omnibus tibi sequendus est. Ad  
quem enim tendas, nisi ad omnem per-  
fectio-*

fectionem, summamquè virtutum, & ideo tibi dicit: Veni sequere me. Hoc est, ut ad consumationem virtutum pervenire merearis. Ergo qui sequitur Christum, eum pro possibilitate sua debet imitari.

2. Hinc est, quām male pluri-  
mi agunt, quām imprudenter faci-  
unt, qui aspirantes ad Religionem,  
magnos sibi in ea promittunt hono-  
res, singulares respectus, res speci-  
osas, & omnia proprio grata amori,  
cūm evidenter pateat, quòd non ad  
delicias, non ad honores, non ad  
voluptates D E U S nos vocet ad  
Religionem, sed ad sui, abnegatio-  
nem, ad tolendam crucem, ad imi-  
tandum eum: *Si quis vult post me  
venire abneget semetipsum, & tollat  
crucem suam quotidie, & sequatur  
me.*

3. In

3. In quibus verbis, considera  
 Dilectissime in Christo Frater Pro-  
 fessande qualem Dominus omni-  
 bus Religiosis consequenter & tibi,  
 qui ad sacram properas Professionē,  
 dat doctrinam. Ecce tibi tres pro-  
 ponit gradus perfectionis, in quibus  
 eum omnino imitari debebis, nem-  
 pe tui abnegationem, crucis baju-  
 lationem, & virtutum suarum imi-  
 tationem, ut per illos facilius con-  
 scendas Religiosæ perfectionis ca-  
 cumen.

4. Abnegatio sui, consistit in 75  
 abnegatione propriæ voluntatis, pro-  
 prij judicij; proprij consilij, quæ, si  
 quis cum corporis, ac omnium viti-  
 orum sentina non fugerit, non exu-  
 erit; virtutes, ac pietatem sectatus  
 non fuerit, frustra mundum dese-  
 ruit, frustra bona temporalia con-  
 tem.

40

tempsit, gratis Religiosam vitam  
arripuit.

5 Hæc est fædissima lepra; hic  
est cordis Religiosorum nequissimus  
vermis propria voluntas, sensus est.  
S. Bernardi serm. 7. de Resurect.  
quam Christus Dominus vitare nos  
suô exemplô docuit, dum dixit ad  
Patrem: Non mea, sed tua volun-  
tas fiat Matth. 26. 42. Si enim Chri-  
stus Dominus voluntatem suam tam  
sanctam abjecit, ut eam æterno Pa-  
tri resignaret, quanto magis nos, ut  
DEO subditi simus, nostras debe-  
mus abnegare voluntates.

6. Crucis bajulatio, nihil ali-  
ud est, quam perfecta, & assidua  
carnis, & animæ mortificatio, ut in-  
quit idem Bernardus serm. de mo-  
do benè vivendi: *Qui crucem por-  
tat, debet mundo mori; nam crucem  
ferre,*

ferre, est semetipsum mortificare. Quod ipsum confirmat S. Dorotheus, dum ait: *Quid est aliud crux, quam vera mortificatio, quæ à nobis exigitur per fidem, quam habemus in Christum Crucem tollere,* inquit Beatus Laurentius iust. *nihil est aliud, quam carnalibus desiderijs, quæ adversus animam militant relucreti.* Talia autem desideria sunt, quæ nos & ad peccata inclinant, & ab omnibus abducunt virtutibus, & ad impatienter ferendas adversitates incitant.

7. Tandem imitari debes Christum Dominum, qui te ad hunc Statum vocavit Religiosum in omnibus virtutibus, & vel maximè in patientia Nam cum Religio juxta S. Bernardum, sit continuum, sed lentum martyrium, contra omnes adversitates,

tes, quæcunque Religioso accidere possunt, armis sanctæ patientiæ se præmunire debet. Quod olim Spiritus S. per os Sapientis Eccl. 2. 1. dixit: *Fili, accedens ad servitutem DEI, præpara animam tuam ad temptationem.*

8. Hoc sibi propriè dictum putet Religiosus, ut in servitio DEI, hoc est, in Statu Religioso, non expectet mundanos favores, & delicias, sed cruces, & tribulationes continuas, sive à Superioribus, sive à Fratribus, sive ab inferioribus, quibus DEUS dilectos suos, & purgare à peccatis, & solidare in virtutibus, & augere incrementa meritorum, & coronas gloriæ illius cælestis præparare solet.

9. Hæc ergo Dilectissime in Christo Frater Professande solidè con-

considera; ad hæc te præpara, & re-solve: & si bene ea expleveris, ve-rum, & vivum membrum Christi in Statu Religioso eris.

Modò autem quæro ex te &c.  
vid. fol. 5.

## EXHORTATIO IX. ad unum.

*Renovabitur ut aquile iuventus tua. Psal 105. 5.*

1. **S**i cui magis quadrare possunt hæc sacræ Scripturæ verba, tunc tibi Dilectissime in Christo Frater Professande, qui juveniles tuos annos nulli voluptati, nullis mundi lenocinijs, nulli vanitati, sed DEI majestati, cultui, & amori ejus sa-cro, Divinissimi Spiritus impulsu consecrare decrevisti.

2. Sed quia necdum es bene infor-

informatus, & plenè, quibūs modis  
ac mediis juventutem tuam aptam  
DEI servitio, capacem vitæ perfe-  
ctæ, & Religiosæ exhibere possis: ut  
certò agnoscas, quid sit perfectè vi-  
vere, vel unde petenda sit renova-  
tionis tuæ idea, cui tu tua omnia  
conformare debebis in futurum, qui  
te informabunt abundè, magistros  
tibi statuo sequentes.

3. Primus magister, sit consci-  
entia tua. Sic enim verò aurei oris  
Doctor S. Chrysostomus ait: *Suffi-  
cientem magistrum habemus consci-  
entiam, & fieri non potest, ut quis il-  
lō adiumentō privetur; nam simul  
cum formatione hominis insita est, fa-  
ciendorum, & non faciendorum sci-  
entia.*

4. Confirmat hoc ipsum Alva-  
rez cuidam Religioso scribens: *Non  
negli-*

negligas internam morum reformati-  
onem, nec magistrum ipsum internum,  
qui sensum ingerit, quid sequendum,  
quid fugiendum, quid tolerandum sit.  
Si ergo hæc tam importuna accusa-  
trix, & delicata nostrarum actionum  
inspectrix, nullius nos criminis arguit,  
nullum aliquod peccatum reprehendit,  
tunc rectè nobis quadrabunt ver-  
ba Doctoris Gentium D. Pauli Apo-  
stoli 2. Cor. i. Gloria nostra hæc est,  
testimonium bonæ conscientiæ no-  
stræ.

5. Secundus magister sit, e-  
xempla Sanctorum. Virtutes enim  
Sanctorum in terris annotatæ, si se-  
cundùm sensum B. Laurentij Just.  
loquamur, sunt tamquam luminaria  
in opaca noctis caligine viatoribus  
velut altera pharos exposita, quâ si-  
nè offensione pergere, & ad suæ  
pere-

peregrinationis finem securè quisquè  
pervenire possit.

6. Revera Sancti omnes solida nobis per vitæ suæ integritatem reliquerunt exempla, ut eos pro posse nostro imitantes, profectum aliquem spiritualē percipiamus. Quemadmodum enim carbones mutuò se accendunt, ac citius, & vehementius ignis naturam concipiunt; ita qui Sanctorum vitam serio advertit, illorum exemplis citius ad omnem accenditur virtutem.

7. Ibi enim videbit bona opera, devotiones, mortificationes, jejunia, vigilias, patientiam, humilitatem, labores continuos, nullum otium, obedientiam, quibus virtutibus illi regnum cælorum sibi compararunt, prouti Ecclesia canit: *Omnes Sancti quanta passi sunt tormenta, ut secu-*

securi pervenirent ad palmam.

8. Tertius magister, sit vita Christi Domini, ad quam moribus nostris exprimendam aspirare debemus. Non sufficit nobis vivere mores Christianorum, quia Christus Dominus vult nos perfectiores esse, quos ad suum servitium, id est, ad acram vocavit Religionem.

9. Hæc potissima, si fas est credere Laurentio Iustiniano, Incarnationis Verbi Divini causa fuit, quatenus per assumptum hominem documenta saluberrima tribueret DEUS, quibus peccator amissa recuperaret bona; deformitatem reformaret; imaginem Christi in se exprimeret; & ad cælestem, à qua multum elongaverat, remearet patriam.

10. Desiderat enim DEUS nos esse simillimos in virtutibus Filio suo

suo Domino nostro JESU Christo.  
 Et hinc non immeritò S. Bonaventura inquit: *In omnibus virtutibus, & bonis moribus propone tibi semper clarissimum speculum, & totius sanctitatis perfectissimum exemplar, scilicet vitam, & mores Filij DEI Domini nostri JESU Christi, qui ad hoc nobis de cælo missus est, ut ostenderet nobis viam virtutum, & erudiret nos per semetipsum, ut ad morum eius similitudinem, per imitationem refor- memur.*

II. Ultimus tandem magister tuus, tuæquè vitæ Religiosæ, sint Regulæ, Statuta, & ordinationes. Ista te docebunt, quæ te facere oportebit, quæ vitare. Hæc te informabunt, quomodò vitam tuam, mores tuos componere debabis, dum per imminentem Professionem tuam,

to-

totum te divino mancipabis obse-  
quio æviternè.

12. Quarè , si quando aliquid  
videbis in te discrepare , ac discipli-  
cens magistris tuis , doctrinæquè eo-  
rum , solidè cura , ut hoc totum abo-  
leas , vites , & emendes . Quantò  
autem conformiùs his præceptis ma-  
gistrorum tuorum vixeris , tanto fa-  
ciliùs culmen perfectionis assequeris .  
Quod , dum à te sperat Mater Reli-  
gio , ego inquiero si ex animo devo-  
to , & spe perseverantiae , optatæque  
salutis affectu , petas ipsam Profes-  
sionem !

## EXHORTATIO X. ad unum.

*Idem Dominus omnium , dives in  
omnes . Rom. 10. 12.*

**N**On ita cælestis Regis nostri  
DEI divitias asserit magnus  
D D

Doctor Gentium D. Paulus Apostolus, quasi Regum sæculi, quæ sua distributione minuuntur, sed tantas describit, adorat, & publicat, quod quamvis eas continuò det, & distribuat, sicut defactò dat, & distribuit, nunquam tamen deficit, nec deficerre potest. Quamvis omnes homines immensis sanctitatis suæ facultatibus ditet, extollat illos ad honorem magnatum aulæ suæ, evehat ad charissimorum filiorum dignitatem (magnæ hæ sunt expensæ divitiarum) nihil tamen deficit, nihil imminuitur divinæ gratiæ, & liberalitati.

2. Habet ille adhuc unde expendat, cum omnes homines ex dono liberalis gratiæ suæ vocat ad eximiā virtutem; vocat ad vitæ sanctitatem, allicit ad perfectionem; invitat ad præmium, & coronam.

3. Ut

3. Ut autem divina illa libera-  
litas, & providentia hoc totum non  
tam verbis, quam factis confirmaret,  
& ut possibilem viam ad illam coro-  
nām immarcescibilem perveniendi  
etiam tepidis, & æternæ salutis ob-  
litis, credibilem faceret, plurimos  
mortaliū in omni ætate, ac Lege  
sic disposuit, ut aliquos cujuscunquè  
status perfectos, ac sanctos effice-  
ret, & veluti in medium produce-  
ret, in quibus divitias suæ majestatis,  
& dignitatem, ad quam ascendere  
potest humana conditio, palam, &  
evidenter ostenderet.

4. Sic per immensas gratiarum  
divinarum divitias, Abél virgo in-  
nocens factus; Enos supremus Sa-  
cerdos, qui primò cæpit invocare  
nomen DEI; Iob justus; Moyses  
dux populi DEI; David vir secun-

dum cor DEI. Hos sequitur Apostolorum chorus, Martyrum acies, Concio Pontificum, Doctorum numerus, Confessorum Ordines, Virginum turmæ. Hi omnes tamquam splendidissima sanctitatis fulserunt lumina per divitias gratiæ divinæ.

5 Quid amplius dicendum est de viris ascetis, qui immensis gratiarum divinarum adjuti divitijs, ad sanctitatem vitæ pedibus, ac manibus reptando ascenderunt; de mundo spolia, de carne victoriam, de diabolo triumphum reportaverunt?

6. Non eis impedimentum fuit adversa valetudo, non corporis imbecillitas, non dolor capitis, non rauicitas pectoris, non languor membrorum, ut talia eos à capto sanctitatis, ac perfectionis cursu detinrent alta mente retinentes, quod  
Gen-

Gentium Doctor. 2 Cor 12. 9. &  
10. dicit: *Virtus in infirmitate perficitur Cum infirmor, tunc potens sum.*

7. Quod si hi ad tantam perfectionem gratia DEI suffulti pervernerunt, hoc ipsum reliquos inter & tu Dilectissime in Christo Frater Professande assequi poteris, dum modò putridas mundi delicias non cupieris; mundum immundum in te jugulaveris, proprium velle, utpote vinculum libertæ mentis, abnegaveris; fervorem solidarū virtutum foveris; tuis passionibus tibi prædominari non permiseris; dum te DEUS non melle, sed felie; non lætitia, sed afflictione; non otio svavi, sed amaro negotiō perficere voluerit, non murmuraveris, non in querimonias iveris! Difficilia hæc quidem erunt, sed præmia æterna sequentur. Quæ, ut

ut sortiaris animitus præcor.

Modò autem quæro ex te &c.  
vid. fol. 5.

## EXHORTATIO XI. ad unum.

*Qui manet in charitate, in DEO  
manet, & DEUS in eo. I. Joann.*

4. 16.

**I**ORNAMENTUM pulcherrimum a-  
nimæ Religiosæ, tamquam  
veræ sponsæ DEI, est vitæ perfectio.  
Sed quæro ubinam inveniemus tam  
pulcherrimam, & pretiosam marga-  
ritam; ubi sponsam charissimam re-  
periemus, in cuius amplexu insepa-  
ribili posita est vera, & tota vitæ fe-  
licitas spiritualis.

**2.** *Quis ostendet nobis locum  
sapientiæ; quis monstrabit locum in-  
telligentiæ; quis revelabit ubi pascat,  
ubi*

ubi cubet in meridie, nè vagari incipiamus post greges sodalium, id est, post alias virtutum actiones, quæ quidem reficere animam Religiosam possunt, ducere ad reginam, & sponsam tantis quæsitam laboribus valent, quietare, tamen, satiare, & inebriare haud queunt.

3. Certè ibi querenda, & inventienda est, ubi simul & gratia DEI sit, & finis præceptorum ejus. Hæc est charitas DEI, hæc est dilectio proximi. Hæc est pretiosissima gemma, hic est incredibilis pulchritudinis unio, hæc est inæstimabilis margarita, quâ DEUS propter se, & proximus propter DEUM amatur.

4. Hæc est, inquam, gemma pretiosissima, quæ nos à gratia DEO gratos faciente nuspian poterit separare. Charitati enim soli convenit

nit gratia, competitquè; quia eam non sterilis mater peperit, sed fæcundissimus genuit uterus Spiritus Sancti dicente Apostolo Rom. 5. 5. *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

5. Charitas sola continet præceptum DEI, quæ omnes obligat; universos stringit, & in nullius qui salvari vult libera voluntate relinquitur; nam hoc est maximum, primumquè mandatum: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & proximum sicut te ipsum.* Matth. 22. 7 & 39.

6. Charitas unit nos DEO, juxta Scripturam: *Qui manet in charitate, in DEO manet, & Deus in eo.* Jungit nos ultimo fini, cui

cui juncti, & uniti totius sanctitatis fonti, & totius iniquitatis consumptori, quid n̄ simus sancti, & perfecti evadamus juxta D. Bernardum serm 82 in Cant. dicentem: *Si charitate anima Religiosa DEO nubit, si charitate non iam per alios, sed per seipsum ad DEUM accedit; si charitate DEO adhæret; si affectuum brachijs ipsum astringit, & DEUM nunquam separanda complectitur, quid illi deerit, ut ad fastigium virtutis, id est, ad perfectionem ascendat?*

7. Quapropter Dilectissime in Christo Frater Professande, dum jam ad sacram Professionem properas, si jam perfectionis culmen ascendere cupis, scito optimè, hoc per solam charitatem fieri posse. Ast hoc quoquè tibi benè notandum, quòd quicunque veræ charitatis est parti-

particeps, omnium horum, sive quibus salus æterna obtineri non potest, in se exprimere debeat actiones.

8. Vitanda tibi erunt peccata, ne charitatem perdas; sensus pravi affectusque ad devia trahentes prohibendi, ut charitatem tuam & à temptationibus liberam habeas, & eam per virtutes sectandas augeas. Oratio, & contemplatio frequentanda, ut adimpleas charitatem. Præcepta, & Statuta, Regula, & Constitutiones servandæ, ut ad perfectionem pervenias charitatis. Cor purum, & conscientia secura custodienda. Charitas enim, quæ cor ab omni criminis contagione purgat; quæ conscientiam omnium mandatorum observatione purificat, est omnium bonorum operum; est omnium laborum sanctorum scopus, & meta, atque-

què adeò ipsa est animæ Religiosæ  
sanctitas, & perfectio.

9. Hanc ergo tibi solidè procura, ut per eam ardeat cor tuum  
igne amoris divini, ut rubiginem in  
te consumat peccatorum; ut refor-  
met mores tuos; ut pessimas abole-  
at consuetudines; ut tollat vitia;  
plantet, & inserat virtutes; ut te ho-  
minem DEO indissolubili copulet  
vinculō amoris; sicquè sanctus, &  
perfectus evadas Religiosus. Quod,  
ut suum sortiatur effectum, candidè  
exopto.

Modò autem quæro ex te &c.

vid. fol. 5.

## EXHORTATIO XII. ad plures.

*Nolite conformari huic sæculo.*

Rom. 12. 2.

**Q**ui sanæ est mentis; qui bona  
erga

erga DEUM, & amorem ejus, ac propriæ salutis voluntatis, nunquam huic sæculo nequam gestiet adhære-re. Nec enim hujus nequam sæculi sufficienter describi, vel explicari potest, quanta ejus astutia, quanta perversitas in perniciem generis hu-mani.

2. Quid enim est hoc sæcu-lum, nisi locus commotionis; fons inquietudinis seminarium turbatio-nis? Locus commotionis, ubi homo quasi flos egreditur, egressus autem non permanet, sed statim conteritur, & fugit velut umbra. Fons inquietudinis, à quo tot curæ manant; tot sollicitudines rerum temporalium fluunt; tot imbecillitates, & corpo-ris morbi procedunt, quæ animum cruciant, & pacatum esse non sinunt. Seminarium turbationis; nullus enim est

est amator mundi, qui aut desideriis eorum, quæ non habet, aut timore amittendi, quæ habet, non perturbetur.

3. Quid est hoc, inquam, sacerdolum, nisi rota quædam volubilis omnia movens, universa consumens, & conterens, in qua nihil est, quod stabile, & constans perseveret?

4. Quid miserabilius hoc mundo, cuius fructus ruina est? Hodie quempiam honoribus extollit; postera die ignominiâ, & infamia dejicit. Nunc opibüs, ac rerum temporaliū fortunis augetur; statim verò penuria, & mendicitate premit. Nunc amicorum, & familiarium turbis circumdat; & in ictu oculi solitarium, & inglorium derelinquit.

5. Quid tandem est hoc sacerdolum, nisi periculosum mare, in quo paf-

passionum fuit, sæva tempestas; stri-  
dent curarum, ac sollicitudinum flu-  
ctus; temptationum, periculorum ani-  
mæ, & corporis demergunt aquæ;  
adeò: ut nullus sit mortalium, qui  
omnino illæsus persistat Quod i-  
psum optimè D. Augustinus term 2.  
confirmat, dum inquit: Plena sunt  
omnia periculis; plena laqueis; inci-  
tant cupiditates; insidiantur illæcebræ;  
blandiuntur lucra; damna deterrent.  
Inde sevit odium; hinc decipit mendax  
obsequium. Nullus est sæcularis sta-  
tus, qui non innumerabilibus pericu-  
lis sit expositus; nullum negotium,  
quod non sit mille laqueis circumda-  
tum. O mundo immunde! ( clamat  
ulterius nominatus S. Pater ) O ne-  
quam sæculum, quam inspiens est,  
qui te amat, quam temerarius, qui te  
non

*non horret; quam sui oblitus, qui tuos non fugit laqueos!*

6. Unde vos Dilectissimi in Christo Fratres Professandi bene vobis consuluistis, qui ad sacram aspirando Religionem hoc nequam sæculum fugistis. Sapienter fecistis, qui miserum mundanorum statum deseruistis; qui à Patria hac proditrice civium suorum aufugistis, & aliam vobis, nempe sacram Religionem elegistis. Eapropter si idem vobis est animus modò, quem in principio vestræ vocationis habuistis, quæro, utrum toto corde, sincera mente DEO famulandi, & salutem animarum vestrarum quærendi, sacram petatis Professionem.



EX-

64  
EXHORTATIO XIII. ad unum.

*Ambula coram me, & esto perfectus.* Gen 17. 1.

1. **Q**uod DEUS omnipotens, non procul ab orbe condito suo fideli Abrahamo dixerat: *Ambula coram me, & esto perfectus*, hoc omnihomini, ac præcipue Religioso, ad perpetuum ejus servitium anhelanti, inculcat: *Ambula coram me, & esto perfectus*.

2. **Q**uod si DEUS omnipotens omnes homines, & vel maximè Religiosos ad eximiam virtutem vocat, ad sanctitatem allicit, ad perfectionem invitat, non denegabit asequendi gratiam, non impediet ascendendi facultatem, non frustrabit auxilio.

3. Qualis namquè esset invitatio,

tio, verbô vocare, doctrinâ instrue-  
re, impulsibus, & afflatibus trahere;  
ad epulas cælestes invitare, & vo-  
lentibus, ac venientibus januam  
claudere!

4. Non claudit DEUS, sed i-  
psi Religiosi vanis se prætextibus ex-  
cusantes, viam sibi ad perfectionem  
serâ socordiæ; serâ negligentia; majo-  
ri rerum temporalium sollicitudine;  
amore deliciarum, occludunt.

5. Luc. 14. Invitati quondam  
homines à Cælesti Patrefamilias ad  
cænam magnam, & pomposam, velu-  
ti ingrati illo affectu, sic se excusâ-  
runt. Primus dixit: Villam emi, &  
necesse habeo exire, & videre illam.  
Secundus dixit: iuga bœcum emi  
quinque, & eo probare illa. Tertius  
dixit: uxorem duxi, & ideo non pos-  
sum venire.

E

6. Si-

6. Simili quasi modo vocati Religiosi ad statum spiritualem à DÉO, ab illius perfectione se excusant, dum mundanæ ambitionis appetitu inescati; bonorum temporalium cupiditate distenti; carnis illecebribus obstrusi, seipso ab amore perfectionis abducunt, & vias sanctitatis ambulare detrectant non attentes ad verba D. Thomæ Aquinatis qui ait: *Status Religiosorum, Status est perfectionis, & hominum ad perfectionem tendentium.*

7. Omnes etenim res non solum rationis expertes, sed etiam inanimatae, amant suam perfectionem, eamquè præcipue appetunt; in eam omnibus viribus, ab Authore datis, nituntur. Animalia, omnia, quæ sibi nociva sunt, fugiunt; quæ ad alimento, aut medicinam utilia, avidè cupi-

cipiunt: filios natura duce, ac si pi-  
etatis essent compotes, maximā  
quādam diligentia nutriunt, & ad-  
huc imbecillos in omnibus periculis  
protegunt.

8. Quid ergo facere non de-  
beat Religiosus rationis compos; à  
mundo avulsus; a sæculi vanitatibus  
abductus; non ad res temporales fă-  
ctus, sed ad æternam beatitudinem;  
ad DEI visionem; ad cælestis glo-  
riæ possessionem præordinatus, nisi  
suam perfectionem quærere; in illum-  
inem, propter quem creatus est, to-  
tâ mentis industriâ contendere; toto  
cordis affectu suspirare; recentissimâ  
memoriâ verba DEI ruminare: *Am-  
bula coram me, & esto perfectus!*

9. Quare Dilectissime in Chri-  
sto Frater Professande, dum ad hanc  
perfectionem vitæ spiritualis mox

E 2

per

per emitte<sup>n</sup>dam Professionem aspi-  
ras, quæro ex te primò, secundò, &  
tertiò canonice, utrum hanc Profes-  
sionem amore hujus perfectionis,  
zelô gloriæ DEI, & affectu animæ  
tuæ salutis, petas?

## EXHORTATIO XIV. ad plures.

*Exemplum dedi vobis, ut, quemad-  
modum ego feci vobis, ita & vos  
faciatis.* Joann. 13. 15.

I. **T**andem post feliciter termina-  
tum vestræ Dilectissimi in  
Christo Fratres Professandi annuæ  
probationis tempus, quid factu opus  
sit? Non meis, sed Salvatoris nostri  
Domini J E S U Christi manifesto  
verbis, qui dicit: *Exemplum dedi vo-  
bis, ut, quemadmodum ego feci vobis,  
ita & vos faciatis.*

2.

2. Dum ad sacram Professionem emitte-  
ndam aspiratis, scitote,  
quia hâc emissâ eritis obligati, ut ve-  
strum, & omnium nostrum sequami-  
ni Magistrum, si ad culmen perfecti-  
onis Religiosæ pertingere desidera-  
tis.

3. Plurima quidem possunt da-  
ri exempla, quæ dignum est, ut se-  
quamur nos vitam Religiosam; vitam  
sanctam; vitam perfectam professi,  
sed si ex rivulis bibendum est, cur  
non ex ipso limpidissimo fonte biba-  
mus? Si à discipulis videmus quid  
addiscendum, cur non ab ipso Magi-  
stro doceamur?

4. Certè hoc ipsum documen-  
tum tanti est, ut ipsum solum, si be-  
ne, & diligenter observetur, adesse  
quandam maximam perfectionem,  
sufficiat.

5. Chri-

5. Christus etenim Dominus noster datus est nobis non tantum in Redemptorem, qui nos redimeret; in Magistrum, qui nos doceret, verum etiam in exemplar, cuius vitam nos ad omnem instrueret perfectiōnem.

6. Adquid enim ille Rex summus, & verus DEI filius; fons, & origo omnis sanctitatis, qui ad infinitam sanctitatem, quam à momento suæ conceptionis habuit, conservandam, nullō prorsus indigebat mediō; nullō motivō; nullā doctrinā, tantas exercuit virtutes; tantam humilitatem; tantam modestiam; tantam mansuetudinem; tantam patientiam; tantam pietatem? nisi, ut nobis exemplum præberet omnis justitiae, & exemplar exhiberet universarum virtutum, ut inquit Princeps.

ceps ille Apostolorum: *In hoc enim  
vocati estis: quia Christus passus  
est pro nobis, vobis relinquentes exem-  
plum, ut sequamini vestigia eius.*

*Petr. 2. 21.*

7. Quod ipsum confirmat Do-  
ctor Gentium Paulus Hebr. 12. 1. &  
sequ. dicens: *Et nos tantam habentes  
impositam nubem testium, deponentes  
omne pondus, & circumstans nos pec-  
catum, per patientiam curramus ad  
propositum nobis certamen: aspicien-  
tes in Authorem fidei, & consumma-  
torem JESUM, qui, proposito sibi  
gaudio, sustinuit crucem, confusione  
contempta, atque in dextera sedis DEI  
sedet. Recogitate enim eum, qui ta-  
lem sustinuit a peccatoribus adversum  
semetipsum contradictionem: Ut ne fa-  
tigemini, animis vestris deficientes.*

8. Unde vos Dilectissimi in  
Chri-

Christo Fratres Professandi, dum  
profiteri DEO vitam vestram Re-  
ligiosam intenditis, hoc vobis seriò  
præ oculis mentis vestræ ponite; hoc  
vestrâ memoriâ fortiter tenete, ut,  
si vultis sicut debetis ad vitam per-  
fectam tendere, Christum Domi-  
num in virtutibus imitemini. Serva-  
te patientiam in omnibus sicut ille;  
humilitatem erga omnes sicut ille;  
modestiam ubique sicut ille; pietă-  
tem sicut ille. Si orabitis, Christi  
reverentiam, & attentionem, ac fer-  
vorem, attendite; si loquemini, Chri-  
sti modestiam in loquela custodite;  
si corpus cibô, potuque reficietis,  
Christi abstinentiam, & sobrietatem  
servate; si aliquod operabimini opus,  
facite secundùm exemplar, quod  
vobis monstratum est in monte Chri-  
stus JESUS, taliterque actiones ve-  
stras

stras perficere studeatis, ut illi placeant, & vobis præmium concilient æviternum, Quod, ut vobis feliciter contingat, toto pectore exopto.

Modò autem quæro ex vobis  
&c. vid. fol. 5

## EXHORTATIO XV. ad unum.

*Qui autem perseveraverit usqñè in finem, hic salvus erit. Matth. 10. 22.*

1. **G**ravium virorum, magnæ hominum prudentiæ, Excel lentissimorum Ascetarum, Doctissimorum Sapientum, Sanctorumquæ Patrum commune axioma est: *Finis coronat opus.* Et verò:

2. Frustra excelsæ eriguntur cogitationes, si aliquando veniant ad depresso. Gratis seraphici eliciuntur

tur affectus, si post pauxillum temporis sequantur desse<sup>c</sup>tus. Nihil vallet zelosa orandi intentio, si in medio orationis aderit voluntaria distractio. In cassum abit sancta vitæ spiritualis inchoatio, si non aderit constans virtutum, pietatis duntaxat, charitatis, devotionis, humilitatis, modestiæ, patientiæ &c. exercitatio: Finis coronat opus. Non primi impetus ad omne opus, sed sola in illo perseverantia coronatur.

3. Quare, qui vult omnia, de quibus à suo Magistro Spirituali, per annuam sui Noviciatus probationem instructus, ac edocitus fuerat, servare, debet in vitæ suæ ratione constans effectus, se ad mentis, & cordis constantiam; ac operis perseverantiam serio accingere.

4. Quid enim proderit domus fun-

fundamenta jacere; parietes in altum erigere, nisi super impositō tectō, habitatio usquē ad finem perficiatur. Ita nihil ad perfectionem assequendam vitæ Religiosæ; vitæ spiritualis, prodest, in Novitiatu Religiosæ vitæ fundamenta perfectionis per sui contemptum, & humilitatem, ponere; nihil prodest virtutem quamcunquē exercere, nisi eam constans perseverantia quasi tectum aliquod operiat, contegatquē.

5. Perseverantia est, quæ semper ad finem operis nititur, & nihil cæptum, aut semifactum relinquit, finē qua ipsum spiritualis vitæ finem, qui est perfectio religiosa, nemo procul dubio assequetur. *Vincenti* dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum: & in calculo non men novum scriptum, quod nemo scit,  
nisi

*nisi qui accipit.* Apoc. 2. 17.

6. Ergo evidenter patet, quod  
qui à fervore novitiatico, quique  
virtutibus ab aquisitis; qui ab obser-  
vantia, & pietate retrocedet, nec  
manna absconditum perfectionis,  
nec nomen novum sancti, ac perfecti  
Religiosi, quod Christus Dominus  
nobis aquisivit, accipiet.

7. Imò morale quoddam mon-  
strum apparebit odibile DEO, &  
Religioni: ut qui fuit antea, vel spe-  
ciem saltem posuit in se viri devoti,  
postea negligens, ac somnolentus;  
qui ante humilis, postea arrogans,  
& superbus; qui antea fuit mansuetus,  
postea contentiosus; qui fuit patiens,  
postea malitiosus, ac furibundus;  
qui fuit obediens, postea capitosus,  
ac rebellis; qui fuit pacificus, postea  
rixosus, ac turbator Fratrum inquie-  
tum-

tumquè subjectum; qui fuit sobrius,  
postea potator; qui fuit disciplinatus,  
postea insolentissimus. Hypocrita  
talis, non Religiosus; seductor suæ a-  
nimæ , non perfectionis studiosus ;  
gravamen Matri Religioni, non sola-  
men, & decus.

8. Solis in bono; in vita Reli-  
gioſa ; in vita sancta ; in observantia  
mandatorum divinorum; Statutorū;  
Regulæ , perseverantibus corona  
promittitur juxta D. Paulum 2. Tim.  
2. 5. dicentem: *Qui certat in agone,*  
*non coronatur, nisi legitimè certave-*  
*rit.*

9. Non igitur perfectionis co-  
rona dabitur ; qui utcunquè in Statu  
Religioso certaverit, sed qui con-  
stanter certaverit, & juxta hanc per-  
severantiæ legem exercitationi insti-  
terit virtutum.

10. Testatur hoc Doctor Gentium Paulus i. Cor. 9. 24. scribens: *Nescitis quod id, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Quis est iste unus, qui accipit bravium in terreno certamine, nisi ille, qui usque ad metam currit, & alios præcurrat currentes?*

11. Ita similiter ad perfectionis metam; ad bravium illud cælestis; ad gloriæ coronam æternæ aquirendam, non sufficit Religioso currere in stadio Religionis, nisi usque ad finem currat, ac omnes tepidos, & imperfectos præcurrat.

12. Certè perfectio vitæ Religiosæ, est ille thesaurus infinitus, qui nos & DEO gratos, & honorabiles efficit hominibus, de quo sic legitur Sap. 7. 14. *Quod qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae DEI,*  
pro-

*propior dona disciplinæ commendati.*

13. Hinc nîl poterit deesse illi,  
qui DEUM amicum habet; nulla re  
indigebit, qui DEUM ipsum, & e-  
Ius gratiam, ac amicitiam possidet.  
Quis non magno honore illum affi-  
ciet, quem DEUS in hac vita pro-  
sequitur honore, & in alia magnifi-  
cat propter custodiam disciplinæ vi-  
tae perfectæ!

14. Tu itaque Dilectissime in  
Christo Frater Professande, si desi-  
deras palmam perfectionis obtinere,  
magna tibi cura inesse debet, ut in  
eo, quod incæpisti, perseveres; nam  
plurimi sunt, qui, cum bene cæpe-  
rint, pessimè finiverunt. Studendū  
tibi proinde erit virtutibus, quæ or-  
nant Religiosos, aquirendis; vitijs o-  
mnibus, quæ deturpant Religiosos,  
abjiciendis; constanter in observan-  
tia

tia sacræ Regulæ, statutorum Ordinis; mandatorum Superiorum perseverare, ut perfectus quondam evadas Religiosus. Nequè enim poterit quis consummationem virtutis attingere, nisi voluerit in ipsius exercitatione perseverare.

15 Quare si ad hæc, quæ tibi proposui, habes animum, dic mihi, utrum ex animo DEO serviendi, & animæ tuæ salutem assequendi, petas sacram Professionem!

## EXHORTATIO XVI. ad plures.

*Appropiate ad me, & congregate  
vos in domum discipline. Eccl.*

51 31.

1. **R**Es magnæ, & obtentu difficiles, quæ non communi labore, nec ordinaria diligentia, sed solida

lida industria, & eximijs conatibus  
aquiruntur, ardentissimis desiderijs  
optandæ sunt, quæ homines rerum  
optimarum cupidos in laborum to-  
lerantia confirmant, & difficultates  
ejus, quod cupiunt, assecutioni ob-  
sistentes, strenuè superent, & vin-  
cant. Tepida enim, & infirma desi-  
deria; languidi, & debiles conatus,  
modica etiam insurgente difficultate  
extinguuntur.

2. Quid ergo, rogo, majus po-  
test esse, ac summè desiderabile su-  
pra sanctam, quietam, tranquillam,  
ac beatam vitam Religiosam perfe-  
ctam! Quam quantis laudibus; quan-  
tis elogijs extollunt SS. PP.! Le-  
gantur non folia, sed tomī; non fi-  
leræ, sed panegyres.

3. Verum quidem dicendo, &  
hominum conditionem attendendo,

F dice,

dicere possum, non esse facile hu-  
mano cordi veris, & efficacibus per-  
fectionis desiderijs ardere, & illo-  
rum vi ad quærendam perfectam  
Religiosam vitam incitari; quia na-  
tura nostra depravata peccatis, &  
inordinatis affectibus irretita; amori-  
terum mundanarum aſveta, his, qua-  
si catenis quibusdam vinc̄ta tene-  
tur, n̄e in altum volet, & in deside-  
riūm vitæ sanctæ; vitæ Religiosæ,  
perfectæ, ac beatæ assurgat.

4. Ferme ita hac in parte no-  
biscum agitur, quemadmodum cum  
homine vili, & simplici rustico, qui  
inter boves, & aratra, inter vome-  
res, & terræ glebas, educatus, nuf-  
piam de regno cogitat; nunquam  
Principum dignitatem desiderat: ita  
proſlus nos filij Adæ, ob delictum  
Patris, hâc pænâ mulctati, amori o-  
pum,

pum, honorum, ac voluptatum aſve-  
ti, non ita facile posſumus nos hiſce  
amoribus expedire, exvinculare quæ  
desiderijs, ut paupertatem Christi;  
vitæ aſperitatem; mundi contem-  
ptum; opera vitæ ſpiritualis; vitæ  
perfectionis, ex corde amemus, ac  
desideremus.

5. Sed facile amor horum ex-  
citari poterit de duro cordis nostri  
ſilice; facile ignis desiderij eorum  
accendi poterit; facile ad capaffen-  
dam viam vitæ perfectionis allici po-  
ſumus, ſi bene, ac ſolidè conſidere-  
mus, & advertamus ea, quæ nos ab  
hoc sancto arcent, vel retardant ſal-  
rem desiderio.

6. Maximūm eſt, ignorantia  
perfectionis, cuius amplitudinem,  
& majestatem quia non bene cogno-  
ſimus, non, ut par eſt, perpendi-  
F a mus,

mus, non in magno pretio illam quoquè habemus. Et quia ejus æstimatione caremus, ideo nihil de possessione illius curamus.

7. Evenit hoc quoquè nobis, quod pueris prudentiâ carentibus, qui, cùm arma militum vident; cùm hastas, & gladios cernunt, quia hæc viribus illorum imparia sunt, floccia pendunt, & suos rusticales baculos his omnibus præferunt. Ita nos miseri homines, qui pretium perfectionis vitæ nescimus; qui summam ejus excellentiam ignoramus, nullò etiam ejus desideriô tenemur.

8. Vos igitur Dilectissimi in Christo Fratres Professandi, qui expletô Novitiatus vestri annô, hodie, & nunc quidem, ad sacram acceditis Professionem, seriò advertite, ut, quæ per annuam vestram probationem

nem non explevistis; quæ nondum didicistis, in ulteriori vitæ vestræ tractu sollicitè discatis, incumbatis. què diligenter illis, quæ vos ad vitā valeant perducere perfectorum Religiosorum.

9. Cùm enim perfectio sit maximum bonum omnibus Religiosis, ac præstantissimum omnium donorum, quæ in hac vita eis contingere possunt, ita de illa semper, & quum est, cogitate, ut ad eam DEO adjuvante, moribus bonis; operibus sanctis; virtutibus eximijs, pervenire valeatis.

10. Habete hoc semper in animo vestro, ut crescat in vobis ardens desiderium perfectionis; crescat sanctitatis vitæ æstimatio; foris exulet omnis socordia; pellatur procul turpis negligentia, & amor virescat

rescat Religiosæ Disciplina.

**n.** Quod, dum vobis iterum,  
iterumq; inculco, quæro, utrum ex  
animo devoto, & spe perseverantiae,  
optatæquè salutis affectu, petatis i-  
psam Professionem!

## EXHORTATIO XVII. ad unum.

*Juravi tibi, & ingressus sum pa-  
ctum tecum, & facta es mihi.  
Ezech. 16. 8.*

**Q**ui hanc mirabilem DEI provi-  
dentiam considerat, quâ pau-  
perculos suos protegit, atquè defen-  
dit, non sâne mirabitur, nec eam a-  
ut nimiam, aut minime convenien-  
tem tantæ abjectioni, & paupertati  
judicabit, si dignitatem præcelsam  
animadvertat, ad quam Religiosi  
vocati, & evecti sunt.

**a. Ne-**

2. Nequè enim DEUS Religiosas animas in statum tantùm servorum suorum, amicorum, & filiorum admisit; sed in aliam dignitatem, majorem, & nobiliorem extulit, dum per sacram emissam Professionem, eos sibi in dilectissimam sponsam assumpsit. *Juravi tibi, & ingressus sum pactum tecum, & facta es mihi.*

3: Hæc autem est dignitas sponsæ, quæ nulla excellentior, aut nobilior dari potest non modo, sed nec præstantior excogitari valet. Amici quippe Regum, aut filij, non statim Reges fiunt, nequè regni potestate potiuntur, ast sponsa æterni Regis nempe DEI, anima Religiosa, ipso actu suæ Professionis, ex conditione tantæ dignitatis, fit Regina, quæ à dextris Regis sedeat in vestitu de.

tu deaurato, circumdata varietate,  
ipsō thronō, & vestitu si non æqua-  
lem, tamen eximum honorem, &  
amplissimam ostendens dignitatem.

4. Amicorum hoc est elogium,  
ut sint pretiosi illorum thesauri, ut  
dicit Scriptura Eccli. 6. 14. *Amicus*  
*fidelis protectio fortis, & qui invenit*  
*illum, invenit thesaurum.* At sponsæ  
DEI, hoc est, animæ Religiosæ  
professæ, major, & nobilior laus est  
reservata, ut non diversa res, sed  
eadem cum Sponso, nempe DEO,  
computetur.

5. Gen. 2. 23. Admiratus pri-  
mus generis humani parens Adam  
sibi à DEO oblatam consortem,  
ac sociam ait: *Hoc os, de ossibus meis,*  
*& caro, de carne mea.* Certè Chri-  
stus Dominus istud amoris verbum  
dicit felici animæ Religiosæ profes-  
sæ,

ſæ, quam non tantum in filiam ſibi  
adoptat, ſed in ſponsam adſcifcit:  
Hoc os, de oſſibus meis, & caro,  
de carne mea.

6. Eſt os, de oſſibus meis, ut  
ſit pudica; eſt caro, de carne mea,  
ut ſit amica. Os, de oſſibus meis,  
ut rerefiat vitijs, ac peccatis; caro,  
de carne mea, ut respondeat bene-  
ficijs. Os, de oſſibus meis, ut cuſto-  
diat constantiam, & fortiitudinem in  
bono, in omni pietate, ſanctitate,  
zelō divini amoris; caro de carne,  
ut obtineat pulchritudinem, quā gra-  
ta reddatur toti Curiæ cæleſti.

7. Magnum enim hoc vincu-  
lum eſt animæ Religioſæ profeffæ  
cum DEO; nam ſolennis Profeffio  
ita animam DEO, Deumq; animæ  
adſtringit, ut nulla dari, aut excogi-  
tari potest authoritas, vel potefas;  
nulla

nulla vis, vel fortitudo, quæ vinculum istud disrumpat, vel dissolvat.

8. Sed non omnes animæ justæ hoc nomine sponsæ præstantissimo dignæ sunt, atquè dulcissimô DEI consortiō. Non omnes enim audent dicere: *Dilectus meus mihi, & ego illi,* Cant. 2. 16. ita, ut scilicet DEO soli tamquam dulcissimo Sponso intendant, & eum solum supra omnia diligant, sed si aliquæ sunt in Ecclesia sancta; in vera Orthodoxa Fide Catholica, quæ tam præcelsum nomen mereantur, illæ profectò sunt animæ Religiosæ, quæ vitam propriam sui status Angelicam, cælestem, & omni cura rerum terrenarum exutam, agunt in terris, ut S. Bernardus in Cant. scribens ajt: *Da mihi animam nihil amantem præter DEUM,* & quod propter DEUM amandum est,

est, cui vivere Christus, cuius otium,  
ac studium est, providere DEUM in  
consp ectu suo semper, cui soli unicum  
solatium, ac voluntas sit ambulare  
cum Domino DEO suo, talis anima  
est digna nomine sponsæ, talis anima  
est sola anima Religiosa.

9. Quid autem præclarius est,  
quam DEO connubio spirituali  
conjungi! quid dulcius, quam fonte  
omnium bonorum uniri! quid secu-  
rius, quam omnipotenti, & immuta-  
bili copulari!

10. Ut igitur te Frater in Chri-  
sto Dilectissime Professande, ani-  
mamque tuam veram remonstres  
DEO sponsam, hoc tibi servandum  
erit, ut post emissam tuam sacram  
Professionem, non cesses a studio  
profectus spiritualis; non tepescas  
in via salutis; non pigrites in obser-

van-

vantia Religiosa; non negligas execu-  
tionem mandatorum DEI, Legū,  
& Statutorum tuæ Religionis, quo-  
usquè ad omnimodam non perve-  
nias perfectionem. His seriò atten-  
de, & me certifices, si ex animo de-  
voto, & spe perseverantiæ, optatae-  
què salutis affectu, petas ipsam Pro-  
fessionem!

## EXHORTATIO XVIII. ad plures.

*Unusquisque qua vocatione voca-  
tus est, in ea permaneat. I. Cor.  
7. 20.*

I. **C**ommune secum fert axiomati:  
*Dimidium facti, qui bene cœ-  
pit habet. Vos Dilectissimi in Chri-  
sto Fratres Professandi, Statum vitæ  
spiritualis vobis eligentes, cœpistis  
bene, dum per annum vestræ pro-  
bati-*

bationis constanter, & patienter o-  
nera, & opera Religionis suppor-  
tatis.

2. Sed necdum ex eo perfecti  
estis, ast ad majora vos per sacrā Pro-  
fessionem, ad quam nunc acceditis,  
resolvere, & præparare debetis. Pa-  
rūm ea, quæ cursu toto vestri Novi-  
tiatus fecistis æstimare debetis, quia  
hæc initia tantūm fuerunt, nec in i-  
psis finem vestræ vocationis pon-  
atis, sed ulterius vobis progrediendū,  
donec cæptum opus vocationis ve-  
stræ perficientes, magnum profectū  
assequamini in Religione. Evidem  
hæc est perfecta in sua vocatione  
permansio, continuus in ea per vir-  
tutes, & sanctas operationes pro-  
gressus.

3. Qui aliquod opus magni  
momenti incipit, mirūm est, quan-  
ta

ta attentione, quanta mentis vigilantia, initijs incumbat, quam, si in operis prosecutione teneret, nec à prima sollicitudine recederet, pulcherrimè, & felicissime perficeret opus: ita Religiosi, si tam sollicitè viam perfectionis sequerentur, sicut inceperunt, brevi tempore ad magnum pervenirent profectum.

4. Sed quia sæpe fit à contrario, post pauxillum temporis incipiunt tepescere; remittunt primum novitiaticum fervorem; negligunt sui vigilantiam; non superant inordinatas passiones, ideo dolendum est, quod non proficiant, sed deficiant.

5. *Vide qualis fueris prima die, quando eruptus per gratiam DEI de seculo nequam, & receptus fuisti in Clauistro, talis permane inquit Dionysi.*

nysius Carthusianus. Cujus sanctam doctrinam , si profundè velint Religiosi intelligere , & perquam diligenter observare , brevè post tempus plurimū proficerent, & divinō adjuti præsidiō facile ad magnam ascenderent perfectionem.

6. Non est mirūm, si Tyroni Religionis, id est, Novitio veniat aliquando affectus sæculi; si lingua aliquid mundanum, vel mirūs honestum proferat; si corde infletur, vel tumescat, vel torpeat, vel aliquem affectum sæcularem ostendat, sed Religiosam vitam professus, tamquam jam totus Christi miles , has tyronum imbecillitates extra domū cordis sui eliminare debet, linguamquè ab inquinamento ineptorum verborum custodiat ; memoriam à sæculi amore abstrahat; desideria re-

rum

rum mundanarum abjiciat est ne-  
cessē.

7. Novitius est quasi infans  
recenter natus, cuius teneritudo ma-  
jorem curam nutricis, id est, spiri-  
tualis Magistri requirit; cuius pusil-  
lanimitas acrem non sustinet repre-  
hensionem, sed si in aliquo delinquit,  
lac, & mel blandioris, & mansve-  
tissimæ correptionis exposcit. Ast  
Religiosus Professus, qui veluti jam  
vir adultus; qui sinè tanta Magistri  
cura in Religionē vivit, duriora la-  
borum onera portare, & pro levi e-  
tiam culpa, ad remonstrandam veræ  
religiosæ patientiæ virtutem, acerri-  
mas increpationes sustinere debet.

8. Novitius quemadmodum  
arbuscula nunc sata assidua indiget  
irrigatione, quæ aut nimium solis ar-  
dorem, aut nimiam noctis intempe-  
riem

riem non sustinet, & si ferè quotidianā præfecti admonitio desit, aut insurget magna tentatio, velut flos fæni statim arescit; Religiosus vero jam Professus, velut procera arbor optimè per veram vocationem; per constans votum suum radicata, sinè aqua continuæ exhortationis perseverare debet, magnasquè adversitates, varias undique occurrentes molestias, plurima pro temporum varietate incommoda, quasi ingentes solis ardores, sustinere.

9. Vocatio ergo vestra ad sacram hunc Ordinem, non est posita in sola votorum emissione, sed ut semper in ea permaneatis; ad omnia perfecta, ad omne virtutis studium, ad omnes virtutes aquirendas, sinè quibus stare non potest vocatio vestra, nec vos dici poteritis veri Reli-

G  
giosi,

giosi, tendere debetis. Nam, qui non solum manè, id est, in vitæ spiritualis exordio, sed etiam vesperi, & meridie, id est, in toto vitæ Religiosæ progressu suæ corresponte-bunt vocationi, hi procertò audient à DEO laborum suorum remune-ratore: *Venite benedicti.* Matth. 25. 34. Quod, ut & de vobis verifice-tur, jugiter exopto.

Modò autem quæro ex vobis  
&c. vid. fol. 5.

## EXHORTATIO XIX. ad unum.

*Ego autem sicut oliva fructifera in domo DEI.* Psal. 51. 10.

I. **E**cce quām sapientissimè regius Propheta expressit personam Religiosam, quæ à curis rerum ter-re-na-

renarum avulsa; à mundi erepta frau-  
dulentijs: millenis sæculi subducta  
periculis; in Clauistro collocata; non  
vacua; non veluti infructuosa arbor,  
aut illa fatua evangelica ficus; sed  
sicut oliva fructifera, DEO, & Re-  
ligioni proficia esse debet. *Ego qua-  
si oliva fructifera.*

2. Et certè hæc est summa Re-  
ligiosæ personæ obligatio, ut, quæ  
vitam amplexa est spiritualem, in  
Religione velut in paradiſo posita,  
summo conatu in fastigium conscen-  
dat pietatis. *Quod ipsum ab illa vel*  
*ipſe efflagitat finis, quem non alijs,*  
*nisi ipſe DEUS in vocatione illius*  
*ad Religionem ei constituit, hoc est,*  
*ut ad Religionem vocata super uni-*  
*versas res creatas se efferat; sancti-*  
*tatem; animi puritatem expetat, vi-*  
*tamquæ cælestem in terris, & Angeli-*

cis cognatam spiritibus instituat.  
 Quam, si sedulò non curaverit; diligenter non quæsiverit; pænitentiæ, patientiæ; humilitatis, aliarumquæ virtutum fructus non fecerit, non minus profectò erit vituperabilis,  
 quam illi infideles evangelici agricultæ Matth. 21. qui dum tempus fructuum appropinguâsset, Dominum vineæ contempsérunt; servos ejus plagis, & verberibus exceperunt; filium unicum crudeliter occiderunt.

3. Hoc idem facit Religiosus, qui tempore fructuum, id est, tempore vitæ DEO consecratæ fructus virtutis, ac sanctitatis, non adferunt; Dominum proventum exigentem, aspernantur; servos Domini, hoc est, suos Superiores contristant, & Christum Filium DEI unicum à men-

mentibus, & cordibus suis exturbant.

4. Quis enim major excogitari potest DEI vocantis contemptus, quam ipsius assiduis non obtemperare vocibus, nec tot beneficijs, quæ singulis momentis accipit, ad virtutem capessendam emoliri? Et quæ gravior Superioribus potest esse tristitia, quam si videant suos labores in corrigendo, in docendo, in exhortando, denique pessum dari, & Religiosam Disciplinam per se omnibus summopere diligendam, conculcari?

5. Habet Religiosus, ut sit quasi oliva fructifera in domo DEI, & arbor non vacua fructu in agro plantata Religionis, magna præsidia ad vitam spiritualem, sanctam, atque perfectam, ut sunt divinorum Sacra-

men-

mentorum frequentatio; sacrorum librorum frequens lectio; pia ac devota oratio; rerum cælestium solida meditatio; exempla Sanctorum.

6. Hæc sunt quasi quinque talenta, quæ D E U S Religioso confert, ut ijs negotiando adferat frumentum bonæ, sanctæ, ac exemplaris vitæ. Nam ex Sacramentorum usu, puritas conscientiæ; ex librorum lectione, scientia; ex oratione, pietas; ex exemplis, sanctitas, & vita aquiritur perfecta.

7. Movet quoquè ipsum ad hanc vitam spiritualem ipse Status Religionis, Status utique sanctus, atquè perfectus. Hunc Statum illi arripiunt, qui vitam Angelicam, ac DEO simillimam concupiscunt; hi illum profitentur, quorum cordi inest summa vitæ perfectio; hi illum soli-

solidè desiderant, qui vitam carnalem plurimis vitijs fædatam, multis vallatam periculis, subterfugiunt, & contemnunt.

8. Movet similiter ad hunc Statum spiritualem; ad vitam perfectam Religiosum, & movere debet communis opinio ab universis lacerib[us] de viris Religiosis concepta: putant enim eos, qui se mundo exemerunt, homines esse sanctos, atq[ue] perfectos, nec decet hanc opinionem fallere, & per quamdam hypocrisim alios inducere in errorem.

9. Religiosus namquè apparen[s] perfectus, ut non est, nequè ex toto est Religiosus, nequè ex toto mundanus, sed velut aliquod monstrum, judicandus.

10. Histriones sunt illi, qui non suam, sed alienam repræsentant  
per-

personam, ita Religiosus, qui vitam Religiosam, quam præfert, moribus, operibus, gestis, & actionibus non tenens, aliud intus est, & aliud foris oculis insipientium se ostendit, meritòquè inter simulatores, & hypocritas numerari potest.

ii. Minatur talibus Dominus per suum Prophetam Sophon. i. 8.  
*Visitabo super omnes, qui indui sunt veste peregrina* Quasi enim peregrinam vestem portat Religiosus, dum spirituale portans, in Religione non Religiosa, sed sacerdotalē dicit vitam.

12. Quid infelicius potest contingere Religioso, quam in loco sancto, non sancte vivere, sed profane, non fervide, sed tepide, in conclavi Christi, non cum eo, sed cum mundo colloquia miscere.

13. Vitam Religiosam solæ fōvent,

vent, & nutriunt sanctæ occupatio-  
nes, non ambitio honorum; non cu-  
ra deliciarum, & comparatio divi-  
tarum, sed studium virtutum; cul-  
tus DEI, & amor pietatis.

14. Quocirca audi Dilectissi-  
me in Christo Frater Professande au-  
di qualem te gerere debeas emissâ  
saora Professione, ut verè sis *quasi*  
*oliva fructifera in domo DEI;* in  
Clauistro Religionis posita, & plan-  
tata. Nullò modô tuæ obliviscaris  
vocationis, quinimò tantam tui sta-  
tus dignitatem mente semper revol-  
ve, & vitam verè Religioso dignâ,  
ducere viribus totis fatage, omnis-  
què cultor persistas virtutis: & fru-  
ctum attulisti, quō in perpetuas ve-  
sceris æternitates. Quod, ut eveniat,  
cordicitus precor:

Modò autem quæro ex te &c.  
vid. fol. 5.

EX-

## EXHORTATIO XX. ad unum.

*Cantabo Domino, qui bona tribuit  
mihi. Psal. 42. 6.*

I. **Q**uicunque sacram intrant Religionem, eò magis, dum constantem servantes suæ vocationis spiritum, per gratiam & singularem DEI clementiam ad sacram accedunt Professionem, sollicitè considerare debent, quæ, & quanta illis DEI misericordia contulit, confert, & conferre adhuc non desinet beneficia.

2. **Q**uis sufficienter trutinare poterit non modò æstimare illud beneficium; illam gratiam, quâ nos à sæculi ereptos vanitate ad sacram vocavit Religionem dando nobis spiritualia auxilia, ut à peccatis sur-

ga-

gamus; ut mentis cæcitatem falsis mundi affixam delicijs, deponamus; ut bonam vitam incipiamus, & in ea perseveremus!

3. Revera magnus thesaurus misericordiæ DEI, in manu hæret Religiosi, quô repente dives bonorum sensuum efficitur, dum quidquid insolens mundana juventus desiderat, hoc totum, ut vana, ridicula, & suæ æternæ saluti nociva, damnat, & contemnit.

4. O quantis, & quam continuis præsidijs anima Religiosa robatur, cùm non post multos dies habitu religioso assumpto sibi ipsi dissimilis, & tota mutata inveniatur! Delicatus adolescens inter delicias, & voluptates enutritus, qui lautè; & opiparè vescebatur; pretiosis indebatur vestibus, jam cibis insulis,

sis, male præparatis nutritur, imo ipsa aliquando fame, & inedia reficitur; & vilissimō saccō induitur, aut asperrimō ciliciō tegitur, nequè tamen frontem contrahit, sed latus, & hilaris incedit.

5. En! qui ante carni addictus fuerat, jam carnem flagris, vigilijs, cilicijs, ac ciborum parcitate domat. Qui ante ambitiosus incedebat; honoris, ac dignitatum cupidus fuerat, jam pedibus conculcari appetit; ignominiam amplectitur, & vilia obsequia; abjecta servitia, & humiles non refudit functiones. Qui totus ante in fervore, ac furia erat, jam factus Religiosus, totus velut agnus mansuetus, non provocatur injurijs, non irritatur contumelijs; nec convitijs conturbatur, ac læditur.

6. E

6. Et hæc sunt quidem exter-  
na DEI beneficia animæ Religiosæ  
clementer indulta, ast quid dicen-  
dum de internis, quomodò per ea  
totus illius immutatur animus; quam  
dissimiles cogitationes; quam dispa-  
ria desideria; quam piæ voluntates  
occupant cor ejus! Non cogitat  
quomodò ditescet, aut quomodò  
fætidum suum corpus ornabit; vo-  
luptatibus, & delicijs explebit, sed  
potius qua ratione comissa peccata  
dignâ pænitentiâ puniet; pravos af-  
fectus coercedit, & seipsum, suamquè  
abnegabit voluntatem. Non deside-  
rat honores; dignitates; præeminен-  
tias, sed sui potiùs contemptum, &  
vilipensionem. Non curat corporis  
commoditatem; non prætendit va-  
nas rerum temporalium occupatio-  
nes, sed in exercitio virtutum; in  
assi-

assidua sacrorum librorum lectione; in p̄ijssima rerum cælestium contemplatione; in æternæ gloriæ asssecutione consumit dies, & noctes. Non timet pauperiatem; quia pauperes Christus beatos appellat. Non fugit laborem; quia nemo athleta sine sudore coronatur. Non horret supra nudam humum exusta ieiunijs membra collidere; quia bene considerat, quòd Dominus jaceat cum illo.

7. Hæc omnia quid sunt, nisi gratiæ DEI fructus; divinorum auxiliorum, ac beneficiorum effectus; cælestium gratiarum compendia, quibus quasi germen agri anima Religiosa impletur?

8. Meritò Religiosus tantis divinis cumulatur beneficijs; tantâ nobilitatur gratiâ; tantis è cælo demissis roboratur præsidijs, quia hæc omnia

omnia postulat status ejus, quem  
DEI amore, arripuit, succensus.

9. Si enim Davidi attribuit ro-  
bur, ut superbū prosterneret Phili-  
stæum; si Ieremiæ dedit audaciam, ut  
Iudææ Reges, Principes, & Sacer-  
dotes argueret; si viduæ Iudith ma-  
gnū contulit splendorem, ut Ho-  
lophernem inescareret, quidni Reli-  
giosis ad statum perfectionis vocatis  
ea præsidia, ea beneficia, quæ præ-  
dixi, tribuet, sine quibus statui su-  
cepto minimè satisfacere possent!

10. Illorum enim est magna o-  
bligatio, ut sint contemptores sæcu-  
li; vanæ gloriæ postpositores; virtu-  
tum cultores. Illorum est obligatio,  
ut orationi insistant; animi purita-  
tem inquirant; perfectionem secten-  
tur.

II. Vide jam nuc Dilectissime  
in

in Christo Frater Professande, quomodo te capacem tantorum DEI beneficiorum reddere debeas per sacram Professionem. Non est hoc quidem opus virium tuarum, nequè fortitudinis naturalis; si enim sìne gratia DEI non possumus sanctas cogitationes, aut desideria concipere, quanto magis sæculum vincere; passiones supprimere; diaboli astutiam fugere, & devitare. Genue igitur in conspectu D E I tui; plora; instanter, pete divina beneficia, & auxilia donec pervenias illò, ubi securus consistes æviternè.

Modò autem quæro ex te &c.  
vid. fol. 5.



EX-

# EXHORTATIO XXI. ad plures.

*Vita vestra est abscondita in DEO.*

Coloss. 3. 3.

**H**ic est sermo, quem Spiritus S. per os sui famuli Doctoris Gentium D. Pauli omnibus Religiosis loquitur; ejus impulsu sacram ingressi sumus Religionem, quod vita nostra abscondita sit in DEO; hoc est, quod vita nostra spiritualis qualis sit, & quanta esse debeat, ut gratiam, & justitiam quis assequatur, ut DEO creatori suo perfectè obediatur; ut virtutum meritis hanc vitam suam spiritualem custodiat, difficile sit intelligere.

2. Natura ergo hujus vitae spiritualis prius est explicanda, ut quam  
lem nos vitam in Religionis poma-  
rio plantatos ducere oporteat, &

**H**

qua-

qualibus occupationibus intenti esse  
debeamus, primò pro posse investi-  
gemus.

3. Atque adeò vita nostra Re-  
ligiosa, si eam brevi discretione ve-  
limus explicare, nihil aliud est,  
quām bonorum operum exercitatio,  
quā DEO, propter DEUM famu-  
lamur; in virtute, ac sanctitate pro-  
ficiimus, & illam æternam vitam  
promeremur, cuius gratiâ conditi-  
fumus.

4. Nequè verò hæc vita, est  
unum, aut alterum virtutis opus, sed  
series quædam bonorum operum;  
perpetua continuatio meritorum, ac  
diligens exercitatio virtutum, ut  
Religiosus de virtute in virtutem  
transiens, tamquam de claritate pro-  
vectus in claritatem, spirituali Do-  
mini mereatur præsentia ditari.

5. Sciri-

5. Scriptum est enim, quia vita Religiosi omnibus virtutibus pollere debet. Quotidie enim tentatur, & impugnatur, nunc molliter, nunc acriter, semper tamen periculose, & nequiter diabolo nobis insidiante.

6. Nullus proin otio torpeat, sed se in omnibus pro viribus exerceat virtutibus, accingatque se tamquam novus miles ense novo, hoc est, fervore spiritus strenue contra nequitias diaboli, & omnia vitia pugnaturus, atque pugnet fortiter anicipiti gladio, DEI scilicet timore, & suâ patientiâ, nè ulla ei virtus per omnia in via, & vita perfectionis succumbat.

7. Sit illi semper præ oculis passio Christi; Martyrum certamen, incendium ignis æterni, lachrymæ  
Ha da.

damnatorum, ac recolligat se fre-  
quenter per devotionem piam; le-  
ctionem sacram; cordis compunctio-  
nem, refrenetque verborum levita-  
tem arcto silentio, & conservet in-  
ternæ pacis tranquillitatem per o-  
blivionem mundanorum.

8. Hæc spectant ad viros Re-  
ligiosos; ad strenuos Christi milites,  
qui his armis virtutum, totâ suâ vitâ  
pro fide, DEI honore, lege æterna,  
ac suæ animæ salute, pugnant, & pu-  
gnare debent.

9. Eatenus caveat, nè ad dex-  
teram, vel sinistram declinet, sed  
prævia semper luce, virtutum disci-  
plinæ, & mandatorum divinorum  
integritatis semitam teneat rectam.

10. Ista planè sunt spiritualis vi-  
tae itinera peroptima cælitus viatori-  
bus demonstrata, quatenus, quâ per-  
gant.

gant sufficienter edocti, in tenebras  
falsitatis minimè labantur.

II. Et quemadmodum non est miles, qui semel ensim, aut gladium exemit; non est Advocatus, qui rerum aliquando defendit in judicio, nequè mercator, qui vitæ sustentandæ gratiâ, cibum, aut vestem mercatus est, sed miles est, qui militiæ disciplinam arripuit; Advocatus est, qui ex officio munus patrocinandi suscepit; mercator, qui omnes suas expensas eò dirigit, & exponit, ut opes, & divitias conquirat: ita non est spiritualis vitæ consecrator, qui aliqua bona opera tantum perficit, sed, qui proposito sibi DEO, tamquam ultimo vitæ suæ fine, universas actiones suas, in profectum spiritus, & in sanctitatem, ordinat, & reducit,

12. Certè haudquaquam putet  
se esse virum spiritualem, qui sta-  
tutis horis in Choro oscitanter pfa-  
lit, aut per modicum tempus quo-  
tidie divina mysteria tepida mente  
considerat, cùm tamen levia pecca-  
ta non timeat; suos immoderatos  
affectus non ordinet; passiones non  
mortificet; virtutes, & animi puri-  
tatem non quærat, sed in vanis stu-  
dijs, aut sacerularibus negotijs, aut in  
supervacuis colloquijs tempus, &  
vitam impendit.

13. Hæc est verè vita spiritua-  
lis, quæ deffectus quosquè etiam mo-  
dicos detestatur, & non tantum in  
maximis, verùm etiam in minimis,  
DEI amplectitur voluntatem; quæ  
mundum, & omnia sacerularia fugit;  
in vitam cælestem contendit; dæmo-  
ni, ejusquè syasionibus indicit bel-  
lum,

lum, & DEI imperatis, ac divinis  
inspirationibus paret.

14. Vita verè spiritualis est,  
quæ omnibus curis, & cupiditatibus  
sæculi vacua, peccata deflet; passio-  
num cohabet motus; amorem pellit  
creaturarum; tentationes vincit; An-  
gelos imitatur; humilitatem amat;  
mansuetudinem conservat; non in  
plateis, sed in cella; non in foro, sed  
in cordis proprij domicilio com-  
moratur; non cum hominibus, vel  
cum fratribus otiosis miscet sermo-  
nes, sed cum sacris loquitur volu-  
minibus; non rumores audit, sed  
DEI diligenter auscultat instinctus;  
omnibus peccatis moritur, & vitijs,  
aest singulis virtutibus vivit.

15. Eapropter Dilectissimi in  
Christo Fratres Professandi! si pla-  
cet vobis vita spiritualis, ad quam  
vos

vos resolvitis per facram Professi-  
onem, talis, qualem vobis hactenus  
exposui, serio attendere debebitis,  
ut verè possitis dici, & esse Religi-  
osi. Si enim illam non solis deside-  
rijs, sed operibus præstabitis, tunc  
jam verè spirituales eritis viri toti  
curiæ cælesti gratissimi æviternè.  
Quod, ut suum sortiatur effectum,  
candido pectore exopto.

Modò autem quæro ex vobis  
semel, bis, & ter canonice, utrum  
ex animo devoto, & spe perseveran-  
tiæ, optataquè salutis affectu, peta-  
ris ipsam Professionem!

FINIS.



IN

# INDEX

Rerum Præcipuarū, quæ  
in hoc opusculo con-  
tinentur.

Litera F. denotat Foliū;

Litera N. Numerum.

## A.

Ab ingressu ad Religionem perfectos  
oportet esse Religiosos. f. 32.  
n. 1.

Abnegatio propriæ voluntatis in quo  
consistit! f. 39. n. 4.

## B.

Bajulatio crucis quid! f. 40. n. 6.

Beneficia Religiosis cælitus data. f.  
106. n. 2. & sequ.

## C.

C.

Charitas f. 55 n. 3. & sequ. qui re-  
tinenda! f. 58. n. 8.

D.

DEUS opulentissimus. f. 49. n. 1.  
& 2 liberalis. f. 51. n. 3. & sequ.  
quos ad se invitat, vere invitat.  
f. 64. n. 2 & sequ.

Doctrina Christi. f. 38. n. 2. & 3.

F.

Finis Religionem petentium. f. 11.  
n. 1.

I.

Imitatio Christi. f. 68. n. 1 & sequ.  
Ioachin Rex. f. 7. n. 2. f. 9. n. 4. &  
sequ.

M.

Magistri juventutis renovandæ. f. 43.  
n. 2. & sequ.

Mundus vanus. f. 2. n. 2. f. 17. n. 7.  
& 8

& 8. malis refertus. f. 19. n. 1.  
& sequ. huic quomodo mori-  
tur. f. 17. n. 6. hujus descriptio.  
f. 60. n. 2. & sequ.

P.

Paupertas felix. f. 26. n. 3.

Perfectio à quo propendet. f. 14. n.  
1. non simplex. f. 31. n. 2. &  
sequ. ad illam invitantur o-  
mnes. f. 33. n. 7. omnibus possi-  
bilis; f. eodem. n. 8. maxime  
Religiosis. f. 34. n. 9. & sequ.  
ornamentum animæ. f. 54. n. 1.  
ubi querenda. f. eodem. n. 2. &  
3. aquirenda per charitatem. f.  
57. n. 7. sectanda. f. 66. n. 6. &  
seq. est thesaurus. f. 78. n. 12.  
& 13. est difficilis. f. 81. n. 3. &  
4. Curt. f. 83. n. 6. & 7.

Perseverantia in bono. f. 12. n. 2. f.  
73. n. 1. & seq.

Pro-

Profectus in bono f. 92. n. 1. & sequ.  
f. 98. n. 1. & sequ. hōc tenen-  
tur Professi præ Novitiis. f. 95.  
n. 6. & seq.

Professio prædromum agit ad vitam  
similem Angelicæ. f. 9. n. 5.  
& 6.

R.

Religiosi in perfectione proficere de-  
bent. f. 6. n. 1. cur educti de  
mundo! f. 22. n. 7. & 8. horum,  
qui DEUM pro DEO habent!  
f. 23. n. 9. II. horum, quos verè  
sibi assumit DEUS! f. eodem.  
n. 10. stimulantur ad perfecti-  
onem. f. 7. n. 2. & sequ. f. 12.  
n. 2. & sequ. f. 33. n. 6. & sequ.  
f. 36. n. 14. f. 91. n. 10. f. 105. n.  
14. imitari debent Christum.  
f. 41. n. 7. præparent animas ad  
tentationem f. eodem. n. 7. &  
8. hos DEUS desiderat sibi si-  
miles.

miles. f. 47. n. 10. f. 84. n. 8.  
& sebu. horum dignitas. f. 87.  
n. 2. & sequ.

S.

Salus à quo propendet. f. 14. n. 1. il-  
lius spes certa. f. 25. n. 1. &c 2.

Sponsa Christi Religiosi Professi. f.  
87. n. 2. & sequ.

Status Religiosus felix. f. 26 n. 4.  
qualis! f. 37. n. 1. in hoc non  
promittantur sibi honores &c.  
f. 38. n. 2.

V.

Vita gloriofa, sancta, & beata quæ!  
f. 14. n. 1. qui obtinetur! f. 15.  
n. eodem. & sequ. spiritualis  
quid! f. 114 n. 3. & 4. quomo-  
do hæc sectanda! f. 115 n. 6.  
& sequ.

Vocatio non à quo! f. 27. n. 5. & 6.  
à quo! f. 29. n. 7. 8. & 9.

Voluntas propria lepra f. 40. n. 5.





Caluntiones ad Prosha  
Endow Nostrios =

Applicatur Bibliotheca  
Conventus Sorensis Bern  
S Bernardinorum :

W







Biblioteka Jagiellońska



stdr0005359

